DE XENOPHONTIS HELLENICIS COMMENTATIO HISTORICO-CRITICA.

SCRIPSIT

CAROLUS HENRICUS VOLCKMAR, PH. DR.

GOTTINGENSIS, SEMINARII REGII [redacted]
SOCIETATIS PHILOLOGICAE GOTTINGENSIS ETIAMNUNC SODALIS.

Commentatio in certamine literario civium Academiae Georgiae Augustae de sententia amplissimi Philosophorum Ordinis praemio regio die IV. Junii MDCCCXXXVII ornata.

GOTTINGAE,
APUD VANDENHOECK ET RUPRECHT.

MDCCCXXXVII.

AUGUSTI GROTEFENDI

MANIBUS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

CAROLUS VOLCKMAR.

Praefatio.

Amplissimus Philosophorum Ordo a. 1836 postulaverat:

In Xenophontis Hellenica eo instituto inquiratur, ut et quantum faciant ad historiam labentis Graeciae illustrandam, et quid in iis desideres, aequa lance ponderetur, luculentisque exemplis demonstretur.

Duae quum exhibitae essent commentationes, hoc tulit Ordo judicium:

Utrique scriptori ea laus communis est, quod ab immoderatis opinionibus sibi caverunt, magna Xenophontis merita et in libris scriptis et in rebus gestis conspicua justa aestimatione pensaverunt, errores, quibus summa ejus sententia de rebus Graecorum laborare videtur, et partium studium, a qua reprehensione omnino exsolvi nequit, non in nimiam magnitudinem auxerunt, quod denique a diligenti lectione cum Xenophontis Hellenicorum, tum antiquorum historicorum, qui comparari debebant, et quaestionum a recentioribus scriptoribus institutarum ad scribendam commentationem accesserunt, et ipsam rem propositam et docte et prudenter administraverunt.

Comparatis autem utriusque commentationis laudibus ea, quam priori loco indicavimus, praeferenda videbatur, quod, licet intra arctiores fines se contineat, in ipsa tamen quaestione solvenda ulterius progressa est. Cum enim hujus auctor finem quaestionis oculis suis clare proposuisset: neque in Xenophontis ingenio describendo, neque in diverso priorum duorum atque reliquorum librorum colore explicando ab argumento tractando longius quam aequum erat discessit. exem-

plisque non nisi aptis et luculentis usus est, et sic sine ambagibus ad judicium de summa re ferendum lectorem perduxit. — — Etiam compositio sententiarum et orationis color prioris commentationis auctorem magis exercitatum in scribendo demonstrant.

Ita quum Ordo meam dissertationem praemio dignam censuisset, laetatus quidem magnopere mihique gratulatus sum de insigni judicum humanitate, verum aegre tamen tuli, quod commentationem, ad quam scribendam parum otii afferre licuerat, in publicum edere cogerer. Sed ipsa illa humanitas animum mihi et spem facit, alios quoque de adolescente judicaturos esse benevolentius, quam scriptorem severe castigaturos. Est autem illud argumentum et antehac a viris doctissimis agitatum et nunc ipsum vel studiosius agitatur; tantumque abest, ut mea scriptione rem profligasse opiner, ut contentus sim, si doctiores me atque sagaciores non omni illam fructu et semine carere existiment. In conscribenda dissertatione vehementer doleo, quod uti nondum licebat Kruegeri (in: historisch-philologische Studien p. 254.) et Petri (Commentatio crit. de Xen. Hell.) commentationibus nuperrime editis; nil potui nisi in retractando libello laudare eos hic illic, quum digni fuissent, qui prae ceteris respicerentur.

Scrib. in Paedagogio Ilfeldensi Cal. Sept. 1837.

Conspectus.

Prolegomena.

Pars prior.

De habitu et conditione Hellenicorum.

Pars altera.

Res in Hellenicis narratae in judicium vocantur.

Prolegomena.

§. 1.

De vita Xenophontis.

Priusquam in ipsa Hellenica inquiramus, necessarium esse videtur praemittere succinctam vitae ingeniique Xenophontis adumbrationem. Etenim ita tantum quum tota operis ratio patescet, tum singulis, de quibus disserendum erit, rebus clarior lux affundetur.

Xenophon Atheniensis, Grylli filius, quo anno natus sit, non certo constat. Sed quum Strabo (IX. p. 403.) eum pugnae ad Delium (Ol. 89, 1.) interfuisse testetur, recte hinc Corsini [1]) colligit, Xenophontem tunc vicenarium fere fuisse et natum videri circa Ol. 84. Nam Mitfordium, Strabonis auctoritatem rejicientem [2]), refutat Krüger [3]), qui et idem Ol. 84, 2. (443.) natum illum existimat [4]). Ex Isocratis schola non prodiisse Xenophontem [5]), certissimum; ille enim anno 436. natus multo erat junior Xenophonte. At quod maximi momenti erat, jam ab ado-

1) Fast. Att. III. p. 297. Licebat juvenibus Atticis a vicesimo demum anno in bella peregre exire; cf. Schneider ad Xen. Hell. p. X.

2) Hist. Gr. c. 23. s. 6. annot. supr.

3) Quaestt. de Xenoph. vit. p. 6. sq.

4) Cf. praeterea Poppo Praef. ad Anab. p. XVII.

5) Phot. Bibl. Cod. CCLX. p. 793. cf. Wichers Theop. frgm. p. 10. Haec narratio haud dubie orta est ex similitudine nominis Socratis.

lescentia Socratis disciplinae addictus ingenium ex illius praeceptis excoluit animumque conformavit. Sed urbs patria ei, quae cupiebat, denegasse videtur [6]). Itaque Proxeno hospite adhortante Athenas reliquit et Ol. 96, 3. (401.) Cyri expeditionis particeps factus egregia fortitudinis atque prudentiae documenta edidit; sed quippe cum Atheniensium inimico contra amicum pugnans exsilio mulctatus est; sic quidem Pausan. (5, 6.) narrat. Diog. Laërt. (2, 51.) eum, ubi ad Agesilaum in Asiam milites suos perduxerit, ἐπὶ Λακωνισμῷ illa poena afflictum perhibet, rogante Eubulo [7]). In his notâ vitium Diogenis; neque enim ad Agesilaum, verum ad Thimbronem cum suis pervenit Xenophon [8]). Quodsi Delbrück. [9]) illud Diogenis testimonium ita infringere studet, ut Athenienses ipsos Thimbroni opem tulisse (cf. Hell. 3, 1, 4.) ideoque Xenophontem, cum Lacedaemoniis militantem, exilio mulctare non potuisse dicat, largimur hoc quidem acri Xenophonteae virtutis vindici, sed mirum certe, quod idem fere suae, quam profert, sententiae opponi posse non intellexit. Nam quod contendit, Xenophontem anno 399. propter Cyri amicitiam exilio esse punitum, non magis licuit hoc Atheniensibus, Spartanorum, qui Cyrum juverant (Hell. 3, 1, 1.) imperio subditis [10]). Aliud igitur, licet Delbrückio Rötscher. quoque adstipuletur [11]) exilii irrogati tempus investigandum est, nec facile aptius computes, quam ubi Athenienses cum Thebanis post Timocratis Rhodii adventum foedus inibant contra Lacedaemonios; tunc quasi hostilis animi documentum manifestaturi Xenophontem, Cyri a Lacedaemoniis adjuti et Agesilai socium, exilio puniverint (exeunte anno 395. vel ineunte anno 394.). Ita compositam quoque habemus Pausaniae et Diogenis discrepantiam. At recte Delbrück. (p. 55 sq.) refutavit eos, qui ex Anab. V, 3, 6. Xenophontem post proelium Coronense exilio mulctatum esse evincere studuerunt.

---

6) Cf. Anab. 3, 1, 1. Alias ejus rationes v. infra §. 2.

7) Istrus ap. Diog. 2, 59. Cf. Ruhnken. historia critica orat. LXV.

8) Anab. 7, 8, 14. cf. Hell. 3, 1, 2.

9) Xenophon. Zur Rettung seiner Ehre cet. p. 37. 31 sqq.

10) Hermann, griech. Staatsaltth. p. 332.

11) Cf. Berl. Jrbb. für wissensch. Krit. 1830 N. 99 sq.

Xenophon, exercitu ad Thimbronem in Asiam deducto [12]), rebus, quae ibi gerebantur, interfuit, et quod magnam in ejus vitam et animum vim exercebat, Agesilaum, Dercyllidae a. 396. succedentem, cognovit seque totum ei dedit. Cum Agesilao in Graeciam profectus (a. 394.) exul in pugna Coronensi pugnavit vel contra populares [13]). Quo facto quum Agesilaus Spartam rediret (Hell. 5,3 s. fin.), Xenophon Scilluntem Eleorum, prope Olympiam situm, cum Philesia uxore et duobus filiis, quos Athenis arcessivisse videtur, migravit [14]), domicilium ibi collocaturus. Acceperat autem domum et agrum a Lacedaemoniis [15]). Pecunia, quam Megabyzo Ephesi servandam tradiderat, recepta [16]) quum Dianae sacellum dedicasset, ipse otio frui, venationi, literis et amicis vacare coepit [17]). Nec facile opportuniorem historiis scribendis locum invenisset; nam propter Olympiae vicinitatem undecunque eo homines confluxerunt [18]). Agesilai consuetudine uti [19]) et fortasse expeditionibus quoque regis Spartani interesse nonnunquam perrexit; fuerit tum *ἐν τοῖς περὶ δαμοσίαν* [20]), inter regis comites et contubernales. Et Agesilai suasu filios suos Spartam educandos misit [21]); simili modo Phocion filium Lacedaemoniis tradidit [22]). Elei quum se Thebanis adjunxissent, in Scilluntem cum exercitu profecti praedium Xenophontis vastant [23]). Pausanias

---

12) A. 399. cf. Schneid. ad Hell. 3, 2, 7.

13) Plut. Ages. c. 18.

14) Krüger de vit. Xen. p. 23. sq.

15) Cf. Diog. L. l. l. Paus. 5, 6. Ita videntur et honorare voluisse Xenophontem, et resarcire damna e bonis fortasse publicatis ei nata; solebat enim φυγή cum ἀτιμίᾳ et δημεύσει conjuncta esse (Meier de bon. damn. 97—101.).

16) Anab. 5, 3, 6 sqq. Ol. 97., ut recte Dodwell. (Annal. Thucyd. p. 33.), qui quo auctore Xenophontem pecunia illa praedium emisse dicat, ignoro. Xenophon ipse contrarium dicit (l. l.).

17) Dinarch. ap. Diog. l. l.

18) Cf. Clinton Fast. Hell. ed. Krüg. p. 431.

19) Plut. Ages. c. 20.

20) Hell. 4, 5, 8. 4, 7, 4 et intpp.

21) Plut. l. l. Diocles ap. Diog. l. l.

22) Plut. Phoc. c. 20.

23) Ol. 103, 4. 365. secundum O. Mülleri Viri Clar. Orchom. p. 375.; alii statuunt Ol. 102. 2.

quidem (5, 6.) Eleos Xenophonti Lacedaemoniorum amicitiam ignovisse et ut secure Scillunte viveret passos esse dicit, sed accuratius Dinarchi a Diog. allegati testimonium praetulerim. Relicto igitur Scillunte Lepreum cum filiis concedit, inde Corinthum [24]) eosque, foedere jam dudum inter Lacedaemonios et Athenienses facto (Ol. 102, 4. 369.), patriae urbi submittit. Itaque videtur post quinque tandem lustra in gratiam cum popularibus rediisse [25]), quod firmatur testimonio Istri (ap. Diog. l. l.), eodem illo, qui exilium adduxerat, Eubulo rogante in patriam Xenophontem restitutum esse perhibentis. Filii in pugna Mantinensi inter Athenienses dimicarunt, qua alter, Gryllus, periit, alter Diodorus sospes evasit. Mortuus est Xenophon Corinthi secundum Demetrium Magnesium et epigramma (ap. Diog. l. l.), Ol. 105, 2. (359.) si Stesiclidi fides esset [26]); sed diutius eum vixisse, recte statuit Clinton [27]). — Talis igitur vita contigerat Xenophonti, ut gravissimarum, quae gererentur, rerum aut ipse particeps esset, aut comperire eas accuratius posset.

§. 2.

De ingenio Xenophontis.

De ingenio et indole Xenophontis nunc disseramus. Vita Xenophontis in turbida incidit tempora, quibus civium animos varie moveri et mirifice mutari videmus. Nova indoles, bellis Persicis exorta, a Marathonomachis, pertinacibus barbarorum inimicis, et Pericle parum repressa, post pestem istam anni 430. funestamque Periclis mortem violentius et celerius in civitatem irrupit [1]) omnemque vitam viro suo infecit. Religio susque deque haberi, mores degenerare, vincula, quae rempublicam continent, laxari coeperunt. Propullularunt autem haec vitia e tota

---

24) Diog. l. l.

25) Cf. Bornemann. ad Xenoph. Cyrop. p. XXIX.

26) Diog. 2, 56.

27) Fast. Hell. p. 133. 300. Krüger de vit. Xenoph. §. 3. p. 28. sq. Cf. infra §. 6.

1) Wachsm. Ant. Hell. 1, 2, 29.

democratiae forma et philosophorum sophistarumque doctrina; illa enim otiosam πολυπραγμοσύνην et facilis laetaeque vitae studium, haec impietatem induxit, cui nihil amplius sanctum [2]). Quid mirum, quod meliores nonnulli, pristinae virtutis memores atque tenaces, ad Socratem sese applicabant, sanctioris vitae magistrum? Ii nunc, quae est animi humani natura, amplectebantur vitae rationem, dissolutae isti prorsus oppositam, ut Aristophanis verbis utar [3])

ἐλακωνομάνουν ἅπαντες ἄνθρωποι τότε,
ἐκόμων, ἐπείνων, ἐῤῥύπων, ἐσωκράτουν,
σκυτάλι' ἐφόρουν.

Marathonomachica indoles, Laconica et Socratica in unam quandam coierunt, qua Xenophontem quoque imbutum fuisse, vita scriptaque docent, quanquam pulchri sensus ipsi ingenitus effecit, ut asperam severitatem istam temperaret. Erat autem simplex homo, modestus, religiosus, dexter et prudens, sed ad vitae vulgaris negotia magis, quam ad subtiliores philosophiae quaestiones factus et propensus [4]). Sic factum est, ut Socratis diligentior, quam intelligentior evaderet discipulus. Namque philosophiam ejus moralem, ad quam animum suum vitamque componeret, ita cepit, ut quomodo Socrati adscribi possit, non facile perspicias [5]). Certe externam modo speciem et docendi methodum percepit, in sapientiae Socraticae penetralia, quae Plato initiatus adiit, non admissus. »Descripsit Socratem ab una tantum parte, eaque primum se offerente iis, quos maxime ad vitae negotia natura formavit [6]).« Nam Socratem ipsum, perspecto simplice et jejuno Xenophontis ingenio, consulto non plura et rectiora ei tradidisse [7]), utique abhorret ab ejus docendi ratione,

---

2) Cf. Rötscher, Aristoph. u. sein Zeitalter p. 95 sqq.

3) Av. 1282 sqq.

4) Καλὸς κἀγαθός, cf. Delbrück. l. l. p. 1 sq.

5) Cf. Schleiermacher, über den Werth des Socr. als Philosophen, in Comm. Acad. Berol. 1814. p. 50.

6) Verba sunt Dissenii V. D. in libello de philos. morali in Xenophontis de Socr. commentariis tradita p. 28.

7) Hoc voluit Anglus quidam in Edinburgh Review Vol. 47. p. 542 sq. sic dicens: „A few saws of morality, and a few of the simplest doctrines of natural religion were enough for the good young man. The strong meat, the bold specu-

qua quidem apta cuique, nec vero falsa et perniciosa praecepit. Erat autem Xenophonti summum bonum nihil aliud, quam felicitas opera et labore parta, omnibus utilitatibus ad vitam bene beateque agendam conspirantibus [8]; singula autem bona robur et dexteritas corporis et bona valetudo, exercitiis gymnasticis quaerenda, mentis vigor facultatumque omnium sanitas; disciplinae, sicut philosophia, arithmetica, geometria, astronomia al., artes, amicitia, prosper rei familiaris status et propinqui bene convenientes, societas civilis, qua sublata nulla esset utilitatis perceptio. Sed ut felicitas illa oriatur, virtute opus est [9], 1) temperantia, 2) fortitudine, 3) justitia, quae constat in legibus divinis et humanis servandis [10]; hae sunt tres virtutes cardinales, quarum summa continetur sapientia, qua instructus accurate novit, quid utile, quid non, et illud in omnibus sequitur, hoc fugit. Suprema autem lex officiorum nulla alia est, quam ut semper sequaris id, quod maxime utile esse videatur [11]. At ipsum illud utile varium et mutabile, quare majus aliquod auxilium circumspiciendum est. Hoc habes in dei providentia, de qua insignis locus est Mem. 4, 3, 14.: *χρὴ οὖν μηδὲν ἐλλείποντα κατὰ δύναμιν τιμᾶν τοὺς θεοὺς, θαῤῥεῖν τε καὶ ἐλπίζειν τὰ μέγιστα ἀγαθά. Οὐ γὰρ παρ' ἄλλων γ' ἄν τις μείζω ἐλπίζων σωφρονοίη, ἢ παρὰ τῶν τὰ μέγιστα ὠφελεῖν δυναμένων, οὐδ' ἂν ἄλλως μᾶλλον ἢ εἰ τούτοις ἀρέσκοι· ἀρέσκοι δὲ πῶς ἂν μᾶλλον, ἢ εἰ ὡς μάλιστα πείθοιτο αὐτοῖς;* — Deus autem docet signis atque portentis [12]. Apparet igitur, etiam huic philosophiae morali summam legem voluptatem tecte subesse.

Quae quum ita sint, Xenophontem quaecunque ad beate, commode ac jucunde vivendum facere existimaret, diligenter exercuisse, non miraberis. Studiosus igitur erat rei gymnasticae, equestris, venatoriae atque familiaris; neque deorum neglexit

---

lations on physical and metaphysical science were reserved for auditors of a different description."

8) Dissen l. l. p. 9.

9) Dissen l. l. p. 13 sqq.

10) Mem. 4, 4, 12. τὸ νόμιμον δίκαιον εἶναι.

11) Dissen l. l. p. 23.

12) Mem. 4, 3, 12. 4, 7, 10.

cultum. Vel sic vides, magis eum favere debuisse Lacedaemoniorum, quam Atheniensium reipublicae. Etenim, ut ipse exponit in republ. Lacedaemonior., ab illa quam maxime prospectum erat corporis robori, dexteritati, sanitati, optime consultum temperantiae [13]), fortitudini (c. 9.), justitiae (c. 10.); coguntur enim homines temperantes, fortes et justi esse i. e. leges servare; obsequio inde a pueris assuefiunt [14]). Hoc non ita apud Athenienses, qui, si illis virtutibus instructi essent, singuli quique sibi ipsis, non publicae curae debebant; quamobrem dixit Demostratus, Phaeacis filius [15]), *ὡς εἰσὶ δημοσίᾳ μὲν Λακεδαιμόνιοι βελτίονες, ἰδίᾳ δ' Ἀθηναῖοι*. Id Xenophontem probe intellexisse, testis est locus, sagacitate insignis [16]): *ἐκεῖνος* (Lycurgus) *ἐν τῇ Σπάρτῃ ἠνάγκασε δημοσίᾳ πάντας, πάσας ἀσκεῖν τὰς ἀρετάς. Ὥσπερ οὖν ἰδιῶται τῶν ἰδιωτῶν διαφέρουσιν, οἱ ἀσκοῦντες τῶν ἀμελούντων. οὕτω καὶ ἡ Σπάρτη εἰκότως πασῶν τῶν πόλεων ἀρετῇ διαφέρει, μόνη δημοσίᾳ ἐπιτηδεύουσα τὴν καλοκαγαθίαν*. Quam sententiam licet foveret Xenophon, tamen non magis, quam alii Socratici, de Lacedaemoniorum republica aeque magnifice sentientes, veluti Plato, ad illos tantopere se adjunxissent, nisi ipsa vita sua et Agesilai caritate ductus esset. Nam quum contra Persas pugnare constituisset, quoniam, quod ipse in Agesil. encom. (c. 7.) dicit, Persas ob multa, quibus Graecos affecerint, damna odisse deceat, Lacedaemonios habuit commilitones, quibuscum dilecti Agesilai consuetudine magis etiam devinciretur; — ad illos enim, *ἁρμονίας* et *εὐνομίας* studiosissimos, jam ipsa cum natura sua, cujusvis modi, concentus certaeque legis amans, necessitate quadam ferre debebat. — Eam conjunctionem postea firmare coactus erat, quod Athenienses eum exilio mulctabant, immerentem suis rationibus ducti. Nam Niebuhrius [17]) vehementius, quam justius in eum invehitur. Id quidem largiendum est viro egregio, quem terris ereptum bonus quisque cordatusque luget, non Athenien-

---

13) Resp. Lac. c. 3. cf. Hell. 4, 8, 22.

14) Resp. Lac. c. 2. 4. 8. Ideo Spartam a Simonide *δαμασίμβροτον* appellatam esse. Plut. (Ages. c. 1.) perhibet, cf. Schneidewin, Simonid. reliqq. p. 109.

15) Plut. Ages. 13.

16) Resp. Lac. c. 10. §. 4.

17) Kleine histor. u. philol. Schriften p. 467. „Wahrlich einen ausgearteteren Sohn hat kein Staat jemals ausgestossen, als diesen Xenophon!“

sem eum fuisse purumputum — etenim non tam erat populi, quam optimatum amicus [18] —, sed Graecum se esse toto animo sensit, quanquam et hunc sensum caecus Spartanorum amor deprimere valebat (cf. infra §. 18.). »Graecum Graecos deligere, Persas odisse decet,« hoc est, quod in Agesil. encom. (c. 7.) praedicat. Cum Agesilao autem exoptat, ut resipiscant Graeci et internis discordiis compositis juncta arma contra barbaros ferant [19]. Vides in his Marathonomachicam, de qua diximus, indolem. Ideo in Callicratida effert barbarorum fastidium [20], ideo Agesilaum, eadem sentientem [21], majore videtur amore amplexus esse. Cur vero omnino hunc tantopere adamaverit, ipse in encomio Agesilai affatim exponit; erat fere vivum ethices Xenophonteae exemplar. Ipsius libelli dispositio ab eo inde loco, ubi virtutes Agesilai recensentur, ad amussim respondet de Socrate commentariis [22]. Non mirum igitur, quod talem hominem laudibus extulit et, qua erat animi infirmitate, eadem cum illo dilexit, eadem oderat, veluti Thebanos, quibus Agesilaum infensum fuisse, ipse diserte dicit [23]; occaecat enim amor vel optimum, id quod maxime Xenophonti accidere debebat, quum ita esset natura comparatus, ut se totum ad aliorum voluntatem et ingenium applicaret. — Rem vero militarem magno studio Xenophontem, qualem descripsimus, amplecti debuisse, per se patet. Non minus indole, quam vita sua ad eam ferebatur [24]. — Ipse autem ingenium suum apposite hisce depingit (Hell. 3, 4, 18.): *ὅπου γὰρ ἄνδρες θεοὺς μὲν σέβοιντο, τὰ δὲ πολεμικὰ ἀσκοῖεν, πειθαρχεῖν δὲ μελετῷεν, πῶς οὐκ εἰκὸς, ἐνταῦθα πάντα μεστὰ ἐλπίδων ἀγαθῶν εἶναι;* —

Haec hactenus!

---

18) Bernhardy, Grundr. der griech. Lit. 1, p. 53. cf. §. 9.

19) Fortasse h. l. talia protulit ad exemplum Panegyrici Isocratei, a. 385 — 375 scripti; cf. Dahlmanni Viri Clar. librum: Forschungen auf d. Gebiet d. Gesch. I. p. 41. Agesilai enim encomium post a. 360 compositum est: cf. §. 6.

20) Hell. 1, 6, 7. 11.

21) Ages. encom. c. 7. Plut. Ages. 16.

22) Cf. modo initia capitum 4. 5. 6. 7. 8. 9. cum Memorabilium capitibus.

23) Hell. 5, 1, 33.

24) Cf. Creuzer histor. Kunst der Griech. p. 295 sqq.

Pars prior.

De habitu et conditione Hellenicorum.

---

§. 3.

Xenophon editor et continuator Thucydidis.

Via in Prolegomenis disputationi munita, jam, ut de pretio et auctoritate Hellenicorum certius possit judicium ferri, utique necessarium est accuratius in totam operis rationem inquirere.

Xenophon videtur et temporum gravitate et Thucydidis maxime exemplo motus ad res scribendas sese accinxisse. Continuavit enim Thucydidis opus, id quod probatur et ipso Hellenicorum initio, illud excipiente, et aliorum scriptorum testimoniis [1]). Quid? quod vel edidisse Thucydidis libros dicitur. Habet enim Diog. L. (2, 57.) haec: *λέγεται δ' ὅτι καὶ τὰ Θουκυδίδου βιβλία λανθάνοντα, ὑφελέσθαι δυνάμενος, εἰς δόξαν ἤγαγεν*, de cujus loci fide non est, quod dubitemus [2]). Thucydides autem ultimo operis sui libro immortuus erat [3]), non certo constat, quo anno. Nam Dodwellus Thucydidem Ol. $97\frac{1}{2}$ defunctum esse existimans falso argumento nititur, quippe inter tres, quas

---

1) Cf. Diod. 13, 42. 14, 84. Dion. Hal. in Ep. ad Cn. Pomp. c. 4. ed. Krüger. in Historiogr. p. 43. Marcellin. de vit. Thuc. §. 45. ed. Popp. al.

2) Cf. Grauert. in Mus. Rhen. 1827. p. 287. Poppo, Thucyd. P. II. Vol. 1. p. 6 sqq. Laërtii narrationem, tamquam locuplete teste destitutam, ullam negat fidem mereri. Sed neque e suopte ingenio confinxit eam Diog., neque, quomodo alius quis hoc potuerit, intelligitur. Certe famam pervulgatam fuisse, ipsum illud *λέγεται* spondere videtur. Rei autem significatae insolentia jam per se prodit satis antiquae traditionis vel auctoritatis vestigia. Nihil igitur obstat, quominus fidem Diogeni habeamus. Graviores causae erant, cur Dahlmann. V. D. (Forschungen II, 1, p. 231 sq.) Plesirrhoum Herodoti opus edidisse dubitaret.

3) Dodwell. Annales Thuc. et Xenoph. Oxonii 1702. p. 33.

memorat Thucydides (3, 116.), Aetnae eruptiones non ea referenda est, cujus Diodor. sub Ol. 96, 1. mentionem injicit. Sunt enim eruptiones illae Ol. 76, 1. 80, 1. [4]) et 88, 3. factae. Mediam istam, quam et Scaliger intelligit, incompertam Thucydidi fuisse, temere contendit Dodwell. Et quomodo Thucydides sub anno belli Peloponnesii sexto de eruptione, post triginta annos facta, apte scribere potuisset λέγεται γεγενῆσθαι?

Quaeritur nunc, quomodo et quando relictos Thucydidis libros consecutus sit Xenophon; id enim scire, magni momenti est, ut postea patebit. Niebuhrius (l. l. p. 467.) primos duos Hellenicorum libros intra decem millium illorum reditum et Agesilai ex Asia in Europam profectionem (399—394.) conscriptos esse statuit. Sed quomodo tum innotuerint Xenophonti, quos continuaret, Thucydidis libri? Et eo tempore ne otium quidem ipsi erat, ut studiis incumberet, quod jam recte monuit Dodwell. (l. l.). Neque etiam inde quidquam proficitur, quod Niebuhr. (l. l.) Xenophontem ante pugnam Cnidiam (394.) Athenis aliquandisper versatum videri dicit. Hoc enim non factum esse nec fieri potuisse, supra vidimus (§. 1.). Dodwell. cum majore veri specie eum Thucydidis libros a filiis ad se in secessum Scilluntinum venientibus accepisse conjicit. At quomodo acceperint eos Xenophontis filii? a Timotheo, Thucydidis filio, autumat Dodwell. Cur vero Xenophonti potissimum eos tradiderit, quem nihildum historiarum scripsisse ipse Dodwell. ponit, quemque Thucydidis familiaritate usum fuisse, nihil spondet, imo vitae et ingenii utriusque diversitas repugnat? — et quid tum verba illa: βιβλία λανθάνοντα, ὑφελέσθαι δυνάμενος? Mirum vero, quam pulchre omnia contingant ex Dodwelli ratione: Ol. 97½ moritur Thucydides, Ol. 97, 1. emtum est praedium (cf. supra §. 1. N. 16.), quo facto Dioscuri illi, Xenophontis filii, adveniunt, Thucydidis libros, quos modo acceperint necesse est, portantes.

Aliam igitur viam indagemus. Thucydides occisus erat Scaptesulae, non in Attica. Diserte illud tradit Plut. (Cimon. 4.): καὶ τελευτῆσαι μὲν ἐν τῇ Σκαπτῇ ὕλῃ (τοῦτο δ' ἔστι τῆς Θρᾴκης χωρίον) λέγεται, φονευθεὶς ἐκεῖ· μνῆμα δ' αὐτοῦ, τῶν λειψάνων εἰς τὴν

---

4) Cf. Stob. Serm. LXXVII. Dorvill. Sic. p. 241. cf. Krüger, Untersuchungen üb. d. Leben des Thuc. p. 64.

Ἀττικὴν κωμῳδηθέντων, ἐν τοῖς Κιμωνείοις δείκνυται κ. τ. λ. Idem testantur Zopyrus et Cratippus [5]), qui erat coaevus et continuator Thucydidis (cf. §. 10.). Et recte dicit Dodwell. (l. l. p. 36.): »nihil habet, quod tantis testibus tamque invicem consentientibus, opponat Marcellinus.« Idem satis probavit, materiam historiae scribendae ab ipso belli mox initio quaesitam esse atque paratam (p. 28.), sed finito demum bello reliquum vitae tempus omne studiis eum et his libris, quos habeamus, accurandis insumsisse (p. 33.), ut libro ultimo immoreretur. Inde verisimile est, opus Thucydideum, si quidem omnino latebat, Scaptesulae latuisse. Huc igitur devenerit Xenophon, necesse est. Quando autem? Non alio tempore factum esse potest, quam ubi cum Agesilao ex Asia redibat. Is vero *ἐπορεύετο τὴν αὐτὴν ὁδὸν, ἥνπερ βασιλεὺς, ὅτε ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἐστράτευεν* (Hell. 4, 2, 8.). Atqui Xerxes Hellesponto trajecto, ipsa maris litora sequebatur (cf. Herod. 7, 108 sqq.); idem igitur Agesilaus, quem Amphipoli versantem denuo inducit Xenophon (Hell. 4, 3, 1.), reliquo itinere praeter consuetudinem omisso. Hinc liquet, Scaptesulam quoque visitatam esse. Suadet hoc insuper Theop. frgm. ap. Athen. XIV. p. 657 B. C. [6]), quod huc referendum esse existimo, Agesilaum accedentem a Thasiis oves et boves al. accepisse; itaque moratus aliquantisper fuerit in regione Thasiis vicina, ad quorum ditionem Scaptesulam Darii tempore pertinuisse, Herod. (6, 46.) refert. Factum illud est fere media aestate anni 394 [7]). Jam sponte oboritur gravis suspicio. Thucydides exilio liberatus est Ol. 94, 2. (403. cf. Clinton l. l.). Redierit tum postliminio Athenas, sed mox Scaptesulam reverterit, quippe ubi fixam se-

---

5) Ap. Marcellin. de vit. Thuc. §. 33. 45. 55. cf. Krüger l. l. p. 56 sqq.

6) Ap. Wichers, Theop. frgmm. p. 61. Nr. 23. Wichers allucinatur de hoc fragmento p. 187., pro *καὶ οἱ Θάσιοι ἔπεμψαν* legendum censens *καὶ ὁ Ταχώς ἔπεμψε*, pro *τῶν Θασίων* autem *τῶν Αἰγυπτίων*, quippe similia dona Agesilao ab Aegyptiis quidem, nec vero a Thasiis oblata esse constet, et quando venerit ad Thasios Agesilaus ignoretur. At excederet omnino expeditio Agesilai Aegyptiaca Hellenicorum Theopompi finem, quae ad pugnam Cnidiam perducta erant (cf. §. 10.). Tum vero quum in antecedente libro Theopompus Lysandri mortem (a. 395.) retulisset (cf. Plut. Lys. c. 30. et Wichers p. 61 et 141.), undecimo hoc Agesilai reditum (394.) narratum esse probabile est, id quod confirmatur Trallum mentione (fr. 25.), cum quo Thraciae populo Agesilaus pugna conflixit in itinere illo (Plut. Ages. 16.).

7) Cf. Clinton Fast. Hell. Ol. 96, 3.

dem haberet atque moreretur. Atqui intra hoc tempus accurasse eum libros suos et octavo immortuum esse, ex Dodwelli ratiocinatione patet. Scaptesulae igitur eos exaravit idque ne decem quidem annorum spatio, quum vel duodecim annorum spatium, pro illorum temporum (maxime Thucydidis) ἀκριβείᾳ, satis exiguum fuisse, rectissime Dodwellus observet. Annos autem ne decem quidem fuisse, inde patet, quod Xenophon mortui libros accepit Ol. 96, 3. (394.), ubi Scaptesulam cum Agesilao pervenit. Illa temporis, quod historiae conscribendae insumserit, exiguitas non potest non suspicionem movere, nunc ipsum decessisse Thucydidem [8]). Supervenit Xenophon et »libros latentes, quos intervertere et supprimere potuisset,« secum aufert editurus. Namque Thucydidis, utpote civis et ducis quondam Atheniensis, domum male habitam imoque direptam esse ab infenso Agesilai exercitu, non videtur a vero abhorrere. Atque id in causa fuisse possit, cur Xenophon illud Agesilai iter, quod mensem durasse dicit [9]), narrare supersederit. Alioquin enim non facile quidquam, quod Agesilaum attinet, silentio praetermittit.

Libros igitur Thucydideos Scilluntem secum portavit atque vulgavit (cf. Krüger, Unters. über d. Leb. d. Thuc. p. 80 sq.). Jam vero eum non modo exaratis illis octo, verum etiam collecta aliorum, quos Thucydides scripturus erat, materia potitum esse, facile suspiceris. Ea igitur usus fuerit in primis duobus Hellenicorum libris scribendis, qua re quantum fidei iis accedat, non est quod moneam. Sed quum Thucydides (5, 26.), se velle historiam usque ad Piraeeum et longos muros occupatos persequi dicat, materies ejus Hell. 2, 2. Xenophonti suppetere desierit necesse est.

---

8) Fortasse vel ab ipsis Agesilai militibus interfectum, conjicere possis. Sed nolumus sine gravissimis rationibus tantum Lacedaemoniis crimen conflare.

9) Encom. Ages. 2, 1. cf. Corn. Nep. Ages. 4.

§. 4.

Utitur Thucydidis materia.

Quaeritur nunc, quomodo Xenophon Thucydidea ista ὑπομνήματα in usum suum converterit. Videndum igitur, numquid discriminis inter duos illos et ceteros libros intercedat. Et magnum reperisse sibi visus est Niebuhr. (l. l.) In primis enim duobus libris juste et recte de Atheniensibus judicari, quum in sequentibus quinque scelestus transfugae Laconismus nos offendat. Sed 1) non evicit Niebuhrius, in posteriore Hellenicorum parte injuste ac false de Atheniensibus judicari, nec omnino quisquam contendere hoc potuerit. Lacedaemoniorum quidem et Agesilai studium, Argivorum [1]) ac Thebanorum odium in ea elucet, neutiquam vero erga Athenienses ira atque injustitia. Reputes autem, Xenophontem in narranda belli Peloponnesiaci historia talem, qualem postea, animum ostendere omnino non potuisse. Nam et Lacedaemoniis et Atheniensibus favebat, necdum alii isti populi, quorum invidia ab Agesilao infectus esse videtur, in censum veniebant (cf. Peter, comment. crit. de Xen. Hell. p. 71 sqq.)

2) Non scripta est prior illa Hellenicorum pars intra annos 399 - 394., quibus Xenophon nondum exilio mulctatus candidiorem adhuc erga patriam animum gesserit. Virum egregium et in his errasse, supra demonstravimus.

3) Jam in priore Hellenicorum parte non quidem prodit animi Atheniensibus infesti, sed tamen Lacedaemoniis propensi signa. Magna enim cum voluptate immoratur Callicratidae rebus narrandis; sed cf. infra §. 12.

Hinc consequitur, non adesse discrimen, quod Niebuhrius statuit [2]). Nec etiam oratio quidquam diversitatis habet. At eo differre videntur partes illae, quod in priore vel minutissima quaeque et maxime complicita plerumque accurate referuntur idque ita, ut facta stricte narrans neque ex suopte ingenio sententiolam quandam admisceat auctor, neque singulis quibusdam

---

1) Cf. Weisk., Xenoph. Scripta. Vol. IV. p. XXVII.

2) Kruegerum mecum facere nunc video et laetor; cf. Historisch philolog. Studien. p. 254.

rebus nimium immoretur, quae quidem vitia in ultimis quinque libris haud raro committi, nemo non videt. Ista autem indoles Thucydideam quid spirat. Quamobrem ad Thucydidem se accommodasse aliquo modo Xenophon videtur copiasque illius ita adhibuisse, ut substerneret suae historiae tanquam fundamenta, quae proprio Marte amplificaret, connecteret, ornaret (v. c. orationibus). Etenim ipsum res belli Peloponnesii codicillis suis statim mandasse, non verisimile est, quoniam hoc ab ejus vita abhorret.

§. 5.

Hellenica non efficiunt duo diversa opera longiore tempore interjecto scripta.

Hinc vero non consectarium est, Xenophontem primis Hellenicorum libris nil voluisse nisi Thucydidis supplementa condere, ita ut reliqui quinque libri diversum ab illis et singulare opus efficiant. Hoc autem Niebuhrius statuit, qui sic putat propria Hellenica (sc. ultimos quinque libros) a Thucydidis istis supplementis disjuncta multo pulchriore specie indui. Testimonia in rem suam affert haec: 1) Marcellin. vit. Thuc. p. XXIII. ed. Bip. dicit: *τὰ δὲ τῶν ἄλλων ἓξ ἐτῶν πράγματα ἀναπληροῖ ὅ τε Θεόπομπος καὶ ὁ Ξενοφῶν, οἷς συνάπτει τὴν Ἑλληνικὴν ἱστορίαν.* Sed ut mittamus Grauerti [1]) conjecturam ὃς pro οἷς, ex hoc loco non efficitur, prorsus diversa fuisse duo opera, verum id tantum, duas generales Hellenicorum partes accipi a Marcellino, alteram, qua bellum Peloponnesium s. Thucydidis opus absolvatur, alteram, qua historia Graeca *κατ' ἐξοχὴν* dicta initium capiat. Eadem est ratio alius cujusdam loci, qui Niebuhrium fugisse videtur, apud Dionys. Hal. Epist. ad Pomp. c. 4. (Krueger. in Historiogr. p. 43): *τρίτην ἔτι* (praeter Cyropaediam et Anabasin) *τὴν Ἑλληνικὴν* (sc. *ἱστορίαν* i. e. opus narratorium condidit Xenophon), *καὶ ἣν κατέλιπεν ἀτελῆ Θουκυδίδης· ἐν ᾗ καταλύονταί τε οἱ τριάκοντα καὶ τὰ τείχη τῶν Ἀθηναίων, ἃ Λακεδαιμόνιοι καθεῖλον, αὖθις ἀνίστανται.* Krueger illud *καὶ* uncis inclusit tamquam spurium; sed recte se habet. Vides autem eam historiam, quam imperfectam a

---

1) In Mus. Rhen. I. fasc. III. p. 169 sqq.

Thucydide relictam esse dicit Dionysius, continere non potuisse triginta virorum ruinam atque murorum restaurationem. Thucydides enim eo usque omnino non perducturus erat historiam suam (cf. supra §. 3.), quod Dionysius quidem non ignorabat [2]). Murorum autem restauratio (393.) a Xenophonte narratur Hell. 4, 8, 6. Hinc sequitur, istud ἐν ᾗ non tantum referendum esse ad verba καὶ ἣν κατέλιπεν ἀτελῆ Θουκυδίδης, sed etiam ad antecedens τὴν Ἑλληνικὴν, ita ut totum opus Xenophonteum intellexerit Dionysius. Hoc inde confirmatur, quod vocabulo τρίτην unum tantum opus intelligi potest. Itaque vel sic patet, Dionysium quoque unius continui operis generales duas partes illas extulisse, id quod suo jure fecit, quum belli Peloponn. historia non sit ἱστορία proprie Ἑλληνικὴ dicta, quae sc. non unam quandam rem magnam, sicut bellum Peloponn., sed Ἑλληνικὰς πράξεις [3]) contineat, quamquam Theopompum, inde a Thucydidei operis fine usque ad pugnam Cnidiam res persecutum, τὰς Ἑλληνικὰς πράξεις tradidisse Diodorus (13,42.) recte dicit. Denominatio autem Hellenicorum et Xenophontis et Theopompi facta est a potiori.

2) Niebuhrius affert, Aldinam Hellenicorum editionem inscriptione uti "Paralipomena Thucydidis", id quod ad primos tantum duos Hellenicorum libros referendum sit. Sed hoc dubium; auctor inscriptionis rem non melius sciverit.

3) Priorem et posteriorem Hellenicorum partem prorsus diverso tempore scriptam esse evincere studet; primum quoniam in illa Xenophon ingenium prodat nondum Laconismo infectum (de quo cf. §. 4. supra); deinde quia in fine secundi libri dicat ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος. Ita Xenophontem scribere non potuisse quadraginta quatuor annis post. Putat enim Niebuhr. ultimos quinque libros, qui totum corpus efficiant, scriptos esse post Olympiadis 106. initium,

---

2) Cf. Ep. ad Pomp. c. 4. p. 34. Krueg. False statuit Sievers Commentatt. histor. de Xenoph. Hell. Pars 1. p. 59. Dionysium ignorasse Thucydidis propositum; ipse enim dicit ille, Thucydidem omnia se executurum esse promisisse; vituperat tantum satis injuste, quod in pugna ad Cynossema substiterit, quum aptiorem finem in exulum reditu habuisset. Tecte igitur reprehendere quoque Thucydidem videtur, quod talem sibi finem omnino ne proposuerit quidem. Cf. Ep. ad Pomp. III, 10, Peter l. l. p. 68.

3) Demosth. de Cor. p. 245.

quoniam Tyrannorum Pheraeorum mentio fiat. Sane quidem l. VI. 4, 37. obiter Alexandri, Pheraeorum tyranni, caedem refert, quae Ol. 105, 2. accidit [4]). At non reputavit V. D., ita semet sibi ipsi repugnare. Nam in primis duobus libris Xenophontem nondum exulem juste de Atheniensibus judicare, in quinque sequentibus autem, quippe exilio interim mulctatum, scelesti erga patriam animi odiosa documenta exhibere dicit. Atqui quinque hos libros post Ol. 106. confectos esse vult, quo quidem tempore Xenophontem cum patria jam dudum in gratiam rediisse scimus (cf. supra §. 1.). Ergo nulla inimicitiae in Athenienses causa ipsi remansisset. Tum vero Alexandri caedis mentio nil aliud evincit, quam hanc ipsam rem post Ol. 106. a Xenophonte consignatam esse; nec nihil obstat, quominus eam postmodum apto huic loco insertam esse statuamus. Sed cf. infra §. 6. 9. Itaque hinc probari nequit, ultimos quinque libros quadraginta fere annos post priores duos esse compositos. Denique Niebuhr hosce non ita multo post eas, quas contineant res, a Xenophonte compositos esse existimat. Alioquin enim Xenophontem non bene dicere potuisse, Thrasybuli socios cum tyrannorum asseclis etiamnunc reipublicae communitate uti; vixerint igitur oportere eo adhuc tempore, quo Xenophon scriberet. At nos non gravate iis largimur vel viginti et plures post concordiam restitutam annos. Nam argumentum, quo subinde nititur Niebuhr, nihil valere videtur, scilicet populi in jurejurando servando fidem quadraginta annorum spatio interposito non tantis laudibus fuisse extollendam, quippe quod tunc odia jam diu evanuerint. Verum enimvero irae et simultatis tenacissimos fuisse Graecos, ut oblivionem promissam facilius, quam injuriam acceptam obliviscerentur, nemo nescit: cujus rei exemplum habeas v. c. apud Lysiam in Agorat. §. 42.; alia attulit Sievers Commentatt. histor. de Xenoph. Hell. Pars 1. p. 4. cf. Wachsmuth. 1, 2, 266. Rarissimum igitur illud exemplum videri debebat Xenophonti; simile quid, quantum sciam, exstat tantum apud Thucydidem [5]) de Sa-

---

4) Sic certe statuit Clinton Fast. Hell. ed. Krueger p. 132. 300 sq. Alii secundum Diodor. 16, 14. acceperunt Ol. 105, 4.

5) Thuc. 8. 73.

miis, ubi iisdem fere atque apud Xenophontem verbis legitur: *τοῖς δ' ἄλλοις οὐ μνησικακοῦντες, δημοκρατούμενοι τολοιπὸν ξυνεπολίτευον.* Utut est, sustentari non posse Niebuhrii argumenta, satis puto apparuerit. Nulla igitur causa est, cur diversa duo opera diversis temporibus conscripta accipiamus, imo omnia ut unum continuum opus statuamus suadent (cf. Krüger, hist.-philol. Stud. p. 264.).

§. 6.

De tempore, quo Hellenica scripta sint.

Videamus nunc, quonam tempore et qua ratione Hellenica confecta sint. Ante secessum Scilluntinum Xenophonti neque otium neque subsidia erant ad primos saltem historiae Graecae libros scribendos. Jam vero quum ipse 3, 1, 2. ad Anabasin lectores ableget, eam prius confectam esse patet; atqui Krueger.[1]) circa anni 372. tempora Anabasin compositam esse statuit, quod si acceperis, Hellenica paulo post condita esse, consentaneum foret. Etenim quominus eorum confectionem ulterius etiam proferamus, id certe impedit locus ille a Niebuhrio laudatus: *καὶ ἔτι νῦν πολιτεύονται κ. τ. λ.* cf. supra §. 5. Inceperit igitur scribere Xenophon circa annum 370. jam septuagenarius [2]); anno autem 369. vel sequente secundum Hellenicorum librum absolverit. Tunc quidem Athenienses foedus fecerant cum Lacedaemoniis et Xenophontem exilio liberaverant. Cui inde major etiam causa accessit, cur popularium in jurejurando servando fidem, Thrasybuli facinora al. praedicaret, Thebanis autem vel infensior evaderet, quippe tam Lacedaemoniorum, quam patriae hostibus acerrimis. Et putaveris fere, mala, quibus Athenienses a Lacedaemoniis affecti essent, omisisse Xenophontem (cf. infra §. 13 sqq.), ne reconciliatorum amicitiam turbaret, praeteriisse etiam, ne Athenienses laederet, Socratis mortem, quam certe mirum est ne verbo quidem tangi; nam quod primo libro accu-

---

1) De authentia et integritat. Anabas. p. 4.

2) Diod. 15, 76. Ξενοφῶν ὁ τὰς ἱστορίας συγγραψάμενος ἐσχατογήρως ὤν· μέμνηται γὰρ τῆς Ἐπαμινώνδου τελευτῆς.

rate narrat scelus istud, sex imperatorum damnatione ab Atheniensibus commissum, cujus eos postea non minus quam Socraticae rei poeniteret, hoc quidem a Xenophonte ante foedus illud scriptum esse conjicias. Itaque anno 365., licet ab Eleis Scilluntc, ubi a Diog. Laert. 3) τὰς ἱστορίας confecisse dicitur, fugaretur, tamen et Leprei et Corinthi in opere scribendo perstitit. Sic circa a. 358. componebat librum sextum, id quod ex caede Alexandri Pheraei narrata prodit (cf. §. 5.), et septimo vix scripto mortuus esse videtur circa a. 354., ut nonaginta annos, a Luciano ipsi tributos, expleret. Hoc modo componitur quoque lis de encomio Agesilai a Valckenaerio excitata. Is enim loca, quae in Hist. Gr. et encomio Agesilai ad verbum fere eadem sint, ab aliena manu ex illa in hoc transscripta esse autumat, Weiskio 4) contrarium contendente. Nam quum encomium Agesilai post hujus mortem (a. 360.) recenti certe viri memoria compositum sit, plurima loca ex Hellenicis in illud fluxisse apparet, quippe quod jam anno 358. sextus Hell. liber paene absolutus videatur. — Simile igitur quam Thucydides fatum expertus Xenophon, materiam historiae scribendae exul collegit, liberatus exilio maximam partem exaravit, simul vero colligere materiam perrexit; nam certum, quo finiret historiam, terminum proponere sibi non potuisse Xenophontem, recte monet Delbrück. p. 119. Apte autem in proelio Mantinensi substitisse judicandus est, sicut Anaximenes Lampsacenus (Diod. 15, 89. cf. §. 10.).

§. 7.

De fontibus Xenophontis.

Quaeritur, quibus fontibus hauserit Xenophon. Postremo belli Pelop. tempore et proxime insequente Athenis versatus, rebus in Asia intra annos 401—394. gestis ipse interfuit; in Graeciam cum Agesilao reversus nonnumquam videtur expeditionum ab eo, v. c. in bello Corinthio factarum particeps fuisse (cf. §.

---

3) 2, 50.

4) Xen. Scripta Vol. IV. p. 411.

1.), id quod vivida et minutissima saepe referens narratio spondere videtur (cf. infra §. 16.). Sed omnia tamen, veluti quae mari gerebantur, ipse videre non poterat. De multis igitur rebus ab aliis certior fieri debebat; hos autem praecipue Lacedaemonios eorumque amicos fuisse consentaneum est, quamvis ab aliis quoque quaedam comperire potuisse Xenophontem non negaverim. Vel sic probabile est, multa, imo omnia fere, quae ipsi referrentur, jam per se Spartano colore tincta fuisse, ut saepe non Xenophon, sed ipsi Lacedaemonii, exaggerantes prospera, ingrata tacentes vel minuentes, auctores fuerint rerum non satis juste et recte narratarum. Hisce nos non amoliri velle a Xenophonte Laconismi vel in historia sua probati crimen, ex iis, quae supra disputavimus, patescat. Et utut est, etiamsi illud acceperis ideoque Xenophon in multis tibi excusatior sit, tamen ea remanet culpa, quod non Thucydidis [1]) exemplum imitatus omnia impendisse videtur, ut verissima quaeque comperiret. — In primis libris eum relictis a Thucydide scriptis usum esse, supra vidimus. Alius rerum scriptor, quem in auxilium vocare posset, erat Cratippus, qui Thucydidis aequalis [2]) hujus opus continuabat ad ea usque tempora, quibus Conon profligatas Atheniensium opes aliquatenus erexit [3]). Sed de eo res incerta. In paucis, quae de Siciliae rebus commemorat, nescio an Philistum adhibuerit; ejus enim historiae Siculae in duas partes divisae erant, cujus altera septem libris plus quam octingentos annos complexa ad Olympiadem 93, 3. (406.) captumque Agrigentum (de quo Xen. Hellen. 2, 2, 24.), altera hinc exorsa quatuor libris Dionysii senioris res usque ad ejus mortem (Ol. 103, 2.) [4]) persecuta erat [5]); ita quidem et hanc partem nosset Xenophon, cum 2, 3, 5. sub Olymp. 94, 1. (404.) Siciliae res memoret; atqui edita illa certe erat post a. 367. (Ol. 103, 2.), unde probabile foret, Xenophontem jam scriptae historiae suae inseruisse, quae de Sicilia habet. Haec autem omnino prae se fe-

1) Cf. hujus verba 7, 44. init. Marcellin. vit. Thuc. §. 20 sq.

2) Dion. Hal. de Thuc. jud. c. 16.

3) Cf. Krueger in Dion. Historiogr. p. 102. 261. et ad Clinton. Fast. Hell. p. 373.

4) Clinton. l. l. sub hoc anno.

5) Heyne de fontibus hist. Diod. p. LXXXVI. in ed. Bip.

runt excerptorum formam (cf. infra §. 9.). Utut hoc est, plurimum sibi ipsi debuit Xenophon. Ceterum in arte historica Herodotum magis quam Thucydidem secutus esse videtur. Hic licet Herodotum nondum noverit (Dahlmann l. l. p. 216 sqq.), Xenophonti tamen non videtur idem accidisse. Nam Hellen. 4, 2, 8. lectorem ad ipsum Herodotum videtur ablegare, quippe qui Xerxis iter accurate narrasset (cf. supra §. 3.); tum vero etiam res a Dercyllida gestas simplicitate vere Herodotea refert [6]), et jucunda, quam de Mania narrat historia eandem spirat indolem. Omnino enim non tanto, quanto Thucydides studio civitatum, sed singulorum potius hominum fata amplectitur more Herodoteo.

§. 8.

De chronologia Xenophontis.

Pauca moneamus de chronologia Xenophontis. Thucydides quum bellum describeret, res gestas annuas per tempestates anni disponendas esse censuit; etenim vere et aestate potissimum pugnatur, auctumno et hieme novi apparatus et nova consilia expediuntur. Praeterea autem parum accuratam fore historiam, quae ad magistratus fuisset accommodata, existimavit [1]). Eum et in hisce secutus Xenophon eandem temporis designandi viam iniit, in qua utinam accuratius perstitisset! Nam non satis ubique annos diversos nota veris, aestatis hiemisve distinxit, sed una continuaque narratione veluti confudit, quos deinde Dodwelli ingenium separatos explanavit. Tum etiam in posteriore historiarum parte numerationem omisit annorum, quos in prioribus duobus libris ex initio belli Peloponn. computavit. Sagaciter autem Dodwellus perspexit et idoneis rationibus probavit, ab interpolatore additas esse temporum notas apud Xenoph. Hell. 1, 2, 1., 1, 3, 1. 6, 1 [2]). 2, 1, 10. 3, 2, 1 [3]). Sed dubitavit Clintonius,

---

6) 3, 1 sqq.

1) 5, 20. cf. Dodwell. Annal. Thuc. p. 12. §. 6.

2) Cf. O. Mueller. V. Cl. de Minerv. Pol. sacr. p. 19 sq.

3) Schneider. praef. ad Hellen. ed. II. p. V sq.

an eodem jure Ephororum Spartanorum indicem Hell. 2, 3, 10. interpolationis nomine suspectam reddiderit [4]). Et sane rationes affert haud spernendas. Attamen discedendum esse ab ejus sententia putat Sievers. l. l. p. 7., haec dicens: »Si Xenophon per duos priores libros, ubi annorum ex initio belli Peloponnesiaci numeratio satis firma atque commoda erat, chronologia ex Ephoris ducta usus erat, cur eam neglexit per reliquos libros, ubi nullo temporis momento, unde annos computaret, adjuvabatur? Itaque non dubito Ephororum non minus quam Archontum nomina pro spuriis habere.« At hoc argumento nil certi probari vides. Nonne Xenophon per ipsam negligentiam negligere postea illam chronologiam potuit? Sed cf. Rec. in Ephemerid. Halens. 1834. Nr. 148.

§. 9.

De consilio et indole Hellenicorum.

Quodnam consilium Xenophontis, quaeque indoles in historia Graeca scribenda fuerit, indigitasse sufficiat. Credideris, initio eum de historia universali conscribenda cogitasse; memorat enim res extra Graeciam propriam gestas, quae nullo arctiore vinculo cum ipso opere suo cohaerent; sic de Sicilia et Carthaginiensibus 1, 1, sub fin. 1, 5, s. f. 2, 2, s. f. 2, 3, 5. de Persia 1, 2, s. fin. 1, 4, 3 sqq. 2, 1, 8. (ubi miram inscitiam probat), de Lycophrone Pheraeo 2, 3, 4. Sed mox tum destitisset a coepto suo [1]); verisimilius est, eum talia jam scriptae historiae inseruisse (cf. supra §. 7.), ita ut postea historiam suam voluisse universaliorem reddere, et in hoc consilio exequendo morte oppressus esse videatur. Apparet autem, eum nihil minus quam pragmaticum scriptorem agere, h. e. eum, qui narrationem ita moderetur, ut lectores ad prudentiam rerum gerendarum instituat (uti Thucydides), sed rerum gestarum narratorem, ad cujus narrationes utiliter cognoscendas pragmatico potius lectore

---

4) Fast. Hell. p. 275. N. n. Sed cf. Peter l. l. p. 53 sqq.

1) Sievers. p. 6 sq.

aut interprete opus sit [2]). At mirum non est, quod ab ethica illa, quae totam ipsius vitam penetraret, indole ne in historia quidem scribenda desciverit (cf. supra §. 2.). Ipse enim dicit Hell. 7, 2, 1.: ἀλλὰ γὰρ τῶν μὲν μεγάλων πόλεων, εἴ τι καλὸν ἔπραξαν, ἅπαντες οἱ συγγραφεῖς μέμνηνται· ἐμοὶ δὲ δοκεῖ καὶ εἴ τις μικρὰ πόλις οὖσα πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα διαπέπρακται, ἔτι μᾶλλον ἄξιον εἶναι ἀποφαίνειν cf. 5, 2, 6. Non omittit, si quid ethicam Spartanorum indolem (praecipue enim Spartanis lectoribus, maxime Agesilao scripsisse videtur; cf. infra §. 14 sqq.) sensumque vere Graecum prodiderit, v. c. in Callicratidae historia 1, 6, 11. 14 sq., de Lysandro 2, 1, 15. ubi consulto dicitur μιξοβάρβαροι et ib. §. 19., de Ephoris 2, 2, 20.; contra effert Atheniensium eadem in re impietatem 2, 2, 3. 10. Agesilai de capta Cadmea ratiocinationem, ex qua quodcunque utile reipublicae sit, facere liceat [3]), tacite videtur probare; ipse enim in Memorab. 3, 2, 1. dicit: στρατεύονται δὲ, ἵνα κρατοῦντες τῶν πολεμίων εὐδαιμονέστεροι ὦσι et putat, quanquam domi mendaciis fallere homines justitia vetet, foris tamen hoc interdum posse utile et bonum esse [4]). Nihilominus tamen postea quum res male caderet, grandibus verbis deos ait foederis laesi poenas repetere a Lacedaemoniis [5]). Cur sapientiam hanc non illo loco exprompsit? Sed bonus senex amore caecus non videtur culpam Agesilai intellexisse; pergit enim hujus virtutem mirum quam extollere [6]). At saepissime moralis ista cantilena decantatur ab historico [7]). Maxime genio suo indulget 4, 4., ubi §. 3. de caede optimatum Corinthiorum ira effervescit, §. 12. laetatur, quod Spartanis suis tot homines occidere licuerit, et gaudio de victoria eorum abreptus festiva acerbitate ludit verbis σωροὶ σίτου et σωροὶ νεκρῶν, §. 13. verbis δίοδον ἱκανὴν, quum satis diruta moenia fuisse, §. 18. legatur; tunc §. 16. summopere delectatur robore et velocitate Laconicae juventutis gravis armaturae, quae currendo peltastas superaverit,

---

2) Weiske Xenoph. Script. Vol. I. p. XLVI sqq.

3) 5, 2, 32.

4) Dissen de philosophia mor. in Xenoph. de Socrate comm. trad. p. 24.

5) 5, 4, 1.

6) 5, 2, 37. 3, 14. 20.

7) 4, 4, 12. 4, 5, 6. 5, 3. 7. al.

§. 19. jocatur fere de Argivorum desidia et quiete et quae sunt cetera. Saepe prodit animum magis superstitiosum quam religiosum, nec unquam fere omittit sacrorum, a Lacedaemoniis factorum, mentionem [8]. Praecipue autem advertit singulorum ducum res gestas, virtutes et vitia et qua arte milites fortes, constantes, modestos, vigiles reddiderint, narrare amat, ut videatur artis imperatoriae exempla et praecepta proponere voluisse [9]. Ceterum quantopere aristocratiae faveat (cf. infra §. 16.), democratiam aversetur, haud raro declarat; demagogi sunt ipsi *βαρεῖς* [10].

Ex hisce, quae hucusque disputavimus, jam praefinire liceret, quomodo in singulis quibusque rebus scribendis versaturus esset Xenophon; sed nolumus vaticinia proferre; res ipsae loquantur.

---

8) Cf. 4, 3, 10. al. Acerbe ideo invehitur in Xenophontem Anglus (Edinburgh Review. Vol. 47. p. 342.), dicens: he was as superstitious as Herodotus, but in a way far more offensive. — The nonsense of Herodotus is that of a baby. The nonsense of Xenophon is that of a dotard. Cf. Peter l. l. p. 86 sq.

9) Hell. 1, 1, 30 sq. 5, 1, 4 sqq. al. Creuzer, hist. Kunst der Griech. p. 293. Peter l. l. p. 85 sqq.

10) 5, 2, 7.

Pars altera.

Res in Hellenicis narratae in judicium vocantur.

---

§. 10.

De aliis rerum scriptoribus eandem cum Xenophonte aetatem tractantibus.

Priusquam nos accingamus ad res, quas Xenophon scripsit examinandas, collustrandi sunt alii auctores, quorum ope in crisi ista exercenda adjuvamur. Dolendum est, quod tot historici funesto fato interierunt, pauca tantum et manca operum fragmenta posteris relinquentes. Erant autem, qui eandem cum Xenophonte aetatem tractarent, non pauci: Cratippus, Theopompus (cf. supra §. 3. 5. 7.), fide, diligentia, arte et oratione probatissimus [1]), Callisthenes, Aristotelis auditor, res a pace Antalcidae (Ol. 98, 2. 387.) usque ad templum Delphicum a Philomelo captum (Ol. 105, 4. 357.) dubia fide persecutus [2]), Anaximenes Lampsacenus, aequalis Alexandro, historiam Graecam inde a primordiis usque ad pugnam Mantinensem enarrans [3]), Ephorus Cumaeus, Isocratis discipulus, ab Heraclidarum reditu usque ad Perinthi obsidionem (Ol. 109, 4. 344.) res Graecorum amplo conatu, sed diversa in diversis operis partibus fide perscribens [4]), denique Duris Samius, Theophrasto aequalis, »ho-

---

1) Cf. Pflugk de Theop. vita et scriptis. Wichers Theop. fragm. p. 19 sqq. 28 sqq. Heyne de font. Diod. p. LXXXII sqq. Brückner König Philipp. p. 4 sqq.

2) Diod. 14, 117. 16, 14. cf. Heeren Vir. Cl. de fontib. et auctor. vitar. parall. Plut. p. 40 sqq. Schneider. praef. ad Hell. p. XIII sqq. Clinton. Fast. Hell. p. 376. G. J. Voss. de Histor. Gr. p. 40 sqq. Dahlmann, Forschungen I. p. 76 sqq.

3) Diod. 15, 89. Schneid. l. l. Clinton. l. l. Voss. p. 57 sqq. Heyne de fontib. Diod. p. LXXXIV.

4) Schneid. p. XIV. Clinton. p. 373. N. f. Heyne p. LXXIX sq. Voss p. 55

mo in historia diligens [5]), qui Hellenica sua ab Ol. 102, 3. 370. inchoasse dicitur a Diodoro 15, 60. Vossius p. 97. hoc opus non diversum esse putat ab ejusdem Macedonicis, sed injuria [6]). Nam quod Schneider (l. l. p. XIV sq.) res ab Alcibiade et Lysandro gestas copiose a Duride narratas esse objicit, id non magis in Macedonicis, ab Amyntae morte exorsis, bene autem locum habere poterat in ejusdem libro *Σαμίων ὧροι* [7]) inscripto, in quo etiam de Periclis bello Samio exposuerat (Plut. c. 28.); etiam illi pertinebant ad res Samiorum; ab Alcibiadis autem stirpe sese progenitum jactabat [8]). Horum opera licet nobis perierint, a Diodoro tamen et Plutarcho adhibita erant [9]). Ille maxime Ephorum exscripsit, aliis veluti Xenophonte et Theopompo promiscue adscitis, idque saepe sine omni judicio, ut compilatorem eum potius, quam historicum dixeris [10]). Proprio enim Marte utitur tantum in rebus per tempora disponendis, quod sic instituit, ut et archontem Atticum, et consules Romanos afferat, res autem gestas annuas ab initio consulatus Romani serioris aetatis h. e. ineunte anno Juliano narrare incipiat, itaque archontem Atticum nunquam non semestri ante, quam debuit, nominet [11]). Haud raro aperte labitur in chronologia. At maximi momenti est ad fidem Xenophontis dijudicandam. Nam postquam Thucydideum tempus pessime exposuit, simulac Thucydides defecit, viribus quasi augetur, multoque evadit diligentior, ita ut ejus narrationes majoris nunc sint momenti, et iis, quae Xenophon omisit, supplemento nonnunquam esse possint [12]).

---

sqq. Heeren l. l. p. 55. Dahlmann l. l. p. 77 sqq. Ephor. fragm. ed. Marx praef. Creuzeri.

5) Cic. Ep. ad Attic. VI. 1.

6) Cf. Wesseling. ad Diod. l. c. Panofka. res Samior. p. 90. Heyne p. LXXXIII. sic statuit: „Mihi probabile fit, idem opus, ut tot alias veterum scriptorum historias, forte in plures partes divisum fuisse.“

7) Non ὅροι, quod Voss. voluit, cf. Heeren p. 41. Ita „copiose,“ ut Schneid. vult, res narratas esse, dubitaverim cf. Plut. Alcib. c. 32. Lys. c. 28.

8) Cf. Baehr ad Plut. Alcib. p. XXV sq. 123. Luzac. lectt. Attic. p. 147 sqq.

9) Cf. Heyne et Heeren l. l.

10) Cf. Goeller de situ et origine Syracus. p. 204 sqq. Ephori fragm. ed. Marx p. XVII sqq. Wachsm. Ant. Hell. 1, 2, 224. 270.

11) Cf. Krebs lectt. Diod. p. 5 sqq.

12) Cf. Sievers p. 8.

Praeterea respiciendus est Plutarchus, cujus Alcibiades, Lysander, Agesilaus, Pelopidas huc pertinent, in quibus eosdem, quos Diodorus fontes adhibuit, in Lysandri et Agesilai vitis Xenophontem prae ceteris secutus [13]). Quum vitas excellentium virorum describat, mores eorum quam maxime spectat, quaecunque hos pingere possint, narrans. Itaque rerum gestarum narrationem isti consilio accommodat biographus egregius, uti ipse optime exponit in vitae Alex. M. initio. Maximi tamen faciendus est propter auctorum, quos diligenter in auxilium vocavit, multitudinem, licet saepe in eorum usu non probet subactum historici judicium [14]). Similis est ratio Cornelii Nepotis in vitis Alcibiadis, Lysandri, Thrasybuli, Cononis [15]), Agesilai, Iphicratis, Chabriae, Timothei, Epaminondae, Pelopidae. Iisdem fere cum Plutarcho fontibus utitur, sed non tanta, quanta ille, diligentia, fide et doctrina [16]), ut magnam ei auctoritatem tribuere nequeamus [17]). In censum quoque veniunt, ut alios scriptores (Pausan., Ael. Aristid., Justin. al.) hic illic arcessendos omittamus, oratores Attici, per quos maxime interna civitatis conditio patefit; ejus generis sunt Lysias, Andocides, Isocrates, imo posterioris aetatis Demosthenes, Aeschines. Sed caute iis utendum est, quum veritatem saepe persuadendi cupiditati posthaberent, nec raro res auditoribus minus cognitas ad usum suum accommodarent, »quoniam quidem concessum est rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possint argutius [18]).«

Nunc nobis liceat res a Xenophonte scriptas eo ordine percensere, quo ab historico expositae sunt.

---

13) Cf. Heeren l. l. p. 46 sqq.

14) Cf. Heeren l. l. p. 190 sqq. Droysen Gesch. des Hellenism. I. p. 676 sqq.

15) In hac vita Dinonem quoque adhibuit, de quo dicit c. 5. „cui nos plurimum de Persicis rebus confidimus.“ cf. de eo Heeren l. l. p. 39. Hisely de fontib. et auctoritate Cornel. Nepot. p. 59 sqq. Voss. l. l. p. 460. Scripserat Persica post Ctesiam; vixit enim Artaxerxis Mnemonis tempore.

16) Cf. Hisely de fontib. et auctorit. Corn. Nepot. p. 42—90.

17) Dahlmann Forschungen I. p. 18.

18) Cic. Brut. c. 11. cf. Heeren l. l. p. 42. Dahlmann Forschungen I. p. 45 sqq. Brückner König Philipp. p. 10. Clinton Fast. Hellenic. 257. R. Funkhänel in d. Zeitschr. f. Alterth. 1836. Nro. 130. Peter l. l. p. 75.

§. 11.

Bellum Peloponnesiacum inde ab anno 411—404.

Continuat Xenophon Thucydidem. Videamus igitur, num arctus inter eos nexus intercedat. Thucydides substitit in pugna ad Cynossema, qua Thrasybulus et Thrasyllus Mindarum vincunt, quo facto Athenienses Cyzicum recuperant, Peloponnesii autem Hippocratem et Epiclem in Euboeam mittunt, ut naves inde adducant. Alcibiades a Tissapherne Samum revertitur et Atheniensium opes et auctoritatem augere studet in Asia minore. Tissaphernes, Peloponnesios sibi irasci putans, in Hellespontum ad eos profecturus Ephesum contendit medio Julio mense. Haec quomodo Xenophon excipit? *Μετὰ δὲ ταῦτα*, inquit, *οὐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον, ἦλθεν ἐξ Ἀθηνῶν Θυμοχάρης, ναῦς ἔχων ὀλίγας· καὶ εὐθὺς ἐναυμάχησαν αὖθις Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἀθηναῖοι, ἐνίκησαν δὲ Λακεδαιμόνιοι, ἡγουμένου Ἡγησανδρίδου.* At quo venit Thymochares? unde Hegesandridas? ubi et quaenam haec erat nova pugna? Hegesandridas quum is sit, qui eodem anno Thymocharem ad Euboeam devicerat (Thucyd. 8, 95.), verisimile est hunc ab Epicle et Hippocrate arcessitum ab Euboea nunc ipsum advenisse. Conflixerit igitur cum Thymochare, quum uterque in Hellespontum proficisceretur. Jam vero *αὖθις* istud referre posses ad proelium istud Euboeense, quod Dodwell. l. l. p. 256. fecit; sed quum celeberrima pugna ad Cynossema nuperrime facta sit, et *αὖθις* illud non tam ad ipsos duces, quam ad Lacedaemonios et Athenienses pertineat, ad hanc pugnam respici putaverim; tum vi quadam addi vides *ἐνίκησαν δὲ Λακεδαιμόνιοι*, quum ad Cynossema Athenienses superiores fuissent [1]). Sic quidem omnia arcte cum Thucydide cohaerent, licet non satis accuratum ideoque obscurum hoc loco Xenophontem esse concedi possit. At obstare videtur Diodorus (13, 41.) nihil de proelio isto commemorans, imo naves ab Epicle arcessitas naufragio circa montem Atho periisse et duodecim tantum homines evasisse narrans,

---

1) Cf. Kruegeri Commentationes crit. et hist. de Thucyd. historiar. parte postrema in ed. Historiogr. Dionys. Hal. p. 323 sq.

id quod confirmari dicit inscriptione [2]) in templo Coronensi inventa, cujus mentionem Ephorus faciat. Sed Hippocrates tamen, qui una cum Epicle missus dicitur apud Thucydidem, et Hegesandridas evaserint necesse est; nam ille posthac etiam memoratur [3]) non minus quam Hegesandridas nostro loco (cf. 1, 3, 17.). Cur vero hi potissimum inter duodecim illos fuerint? At Sievers (l. l. p. 9.) quadraginta fere dierum intervallo Thucydidis et Xenophontis libros sejungi et ex Hell. initio nonnulla excidisse statuens, remansisse eos in Euboea suspicatur, ut praeessent operi, quod tum moliti fuerint Euboeenses, quo scilicet insulam suam mole continenti jungere conabantur. Temporis quidem ratio non obstat huic conjecturae. Nam sub finem aestatis anni 411. Julio exeunte mittuntur Epicles et Hippocrates in Euboeam; ille cum classe abit, Hippocrate et Hegesandrida relictis; non multo post hi in Hellespontum redeunt, quo facto proelium committitur, quod Xenophon narrat, medio fere Septembri. Sed primum refragatur Diodorus (13, 47.), opus illud sub Ol. 92, 3. 410. narrans, cujus hac in re auctoritatem non est cur spernamus; nescio enim, quomodo Sievers (p. 62.) Theramenem jam hieme $4\frac{11}{10}$ ut opus illud prohiberet, missum esse contendere possit, quum nihil de eo constet. Nihil Xenophon de tota re. Tum vero si talia tanta temporis intercapedine facta essent, non quadraret *αὖθις* nostrum; quo enim referretur? num ad pugnam ante duos menses commissam? Ut ex hacce difficultate sese extricaret, novam quandam nec aliunde cognitam pugnam finxit Sievers, qua in re nil nisi ejus audaciam admiror. Itaque cum Kruegero statuendum esse videtur, Diodorum hoc loco lapsum esse, quum quae ad aliud tempus aliasque naves pertinerent,

---

2) Est vero haec: Οἱ δ' (leg. οἵδ'. cf. Thiersch. in Act. Philol. Monac. Tom. II. F. 3. p. 411.)
ἀπὸ πεντήκοντα νεῶν θάνατον προφυγόντες
Πρὸς σκοπέλοισιν Ἄθω σώματα γῇ πέλασαν
Δώδεκα, τοὺς δ' ἄλλους ὄλεσεν μέγα λαῖτμα θαλάσσης
Νῆας τε, στυγεροῖς πνεύμασιν χρησαμένας.
Fuerit in templo Minervae Itoniae, quamquam Pausan. 9, 34. in hujus descriptione nihil habet de epigrammate illo.

3) Hellen. 1, 1, 23. 3, 5 sq. Diod. 13, 66. Plut. Alc. 30.

huc traxerit; in hac enim historiae suae parte erroribus scatet (cf. Krueg. l. l. 325. N. 83.) [4].

Quodsi Xenophon (§. 3.) Dorieum dicit e Rhodo advectum esse, quem Thucydides Mileti reliquerat, apud Peloponnesios versantem, sane non intelligitur, quomodo ille in Rhodum pervenerit. Sed ecce Diodorus (13, 38.) eum a Mindaro, priusquam hic in Hellespontum abiret, Rhodum ad comprimendam seditionem missum esse prodit. Atqui jam Thucydides (8, 99.) Mindarum dicit Mileto in Hellespontum navigasse; itaque Thucydides illam rem omiserit aut Diodorus vel haec turbaverit necesse est. Nulla autem ratione excidisse eam rem in Hellen. initio, statuere licet cum Sieversio. Quamobrem nisi Thucydidem illud praetermisisse acceperis (id quod salva ejus *ἀκριβείᾳ* poteris, quum octavus liber *ὑπόμνημα* tantum esse videatur cf. Krueger l. l.), in nostro loco verba *ἐκ Ῥόδου* interpolata esse facile credas; erat enim Dorieus Rhodius natu, quod fortasse sciolus quidam significare ita voluit. Utut est, Hellenica nostra Thucydidis verba sine hiatu excipere satis puto patebit, licet accuratius et disertius narrare Xenophon debuisset.

§. 12.

Continuatio.

Nunc breviores esse poterimus. Nam graviora tantum et luculentiora, quae quaestionem propositam profligare videantur, excutiemus.

Xenophon deinceps satis diligenter plerumque res persequitur. Sed postquam Alcibiadis victoriam ad Cyzicum de Mindaro reportatam (a. 410.) narravit, rem memoratu dignissimam praetermittit, legationem dico a Lacedaemoniis Athenas de pace mis-

4) Quae Peter (p. 13 sqq.) de priore (§. 1.) et posteriore pugna (§. 2—7.) sagaciter disputat, habent sane, quo se commendent; alteram enim illam existimat eandem esse, quae ap. Thuc. 8, 95 narretur, alteram vero eandem, quae describatur ap. Thuc. 8, 104—107. Vocabulum *αὖθις* (§. 1.) a librario interpositum esse statuit, omnino prima quinque libri primi capita a librario quodam corrupta esse censens (p. 66.). Sed de posteriore pugna quae obstent, ipse addidit. Meum autem nunc non est disceptare rem impeditiorem, quam qua paucis defungi liceat.

sam [1]). Recusarunt eam Athenienses Cleophontis demagogi opera. Quod omisisse Xenophon videtur, Lacedaemoniorum studio ductus. Fuerit haec etiam causa, cur in ipsa pugna describenda non tam accuratus esset quam Diodorus. Schneider quidem (1, 1, 16.) lacunam accipit, quoniam Plutarchus, Xenophontis vestigia in vita Alcibiadis premens, plura afferat; sed Plutarchus ibi alios quoque scriptores in auxilium vocavit [2]).

Omnino autem res ab Alcibiade gestas satis concise [3]) refert Xenophon, ut vel inde, ne respecta quidem diversissima utriusque indole, in deliciis illum historico non fuisse videas, quamquam nonnulla, quae nimia brevitate memorat [4]) aut omisit [5]), non tam partium studio, quam negligentiae Xenophonteae lacunisque Thucydideis tribuerim. Quid mirum, quod splendido illo Alcibiadis reditu non abreptus admodum jejune omnia persequitur [6]), quamquam nihil memoratu dignum praetermittit; afferuntur enim hominum diversa de illo judicia idque vel ita, ut Xenophon a laudantium magis, quam vituperantium partibus stetisse videatur. Sed recte vituperat Schlosser [7]), quod non exposuerit, quomodo mutata fuerit Alcibiadis cum civitate sua necessitudo, ex quo quidem Thucydides eum reliquerit [8]). Postea

---

1) Cf. Diod. 13, 52. 53. Schol. ad Eurip. Orest. 371, 772. Justin. 5. 4.

2) Heeren p. 30 sqq. Baehr ad Plut. Alc. p. XX sqq.

3) Tacet v. c. cur Tissaphernes Alcibiadem captivum fecerit, 1, 1, 9., qua de re exponit Plut. Alc. c. 27.; etiam de Byzantii expugnatione 1, 3, 20. accuratiores sunt Plut. l. l. c. 31. et Diod. 13, 66. 67.

4) V. c. Coryphasium s. Pylum a Spartanis recuperatum 1, 2, 18. cf. Diod. 13, 64.

5) Veluti Theramenis expeditiones tempore inter pugnam Cyzicenam et Chalcedoniam interjecto adversus Chalcedonios et Byzantinos susceptas Diod. 13, 64. 66. Eum in hac re non satis accuratum fuisse, evincitur etiam ineptis verbis 1, 3, 9. μὴ πολεμεῖν τοῖς Χαλκηδονίοις, ubi Schneidero de re, non de conjectura, quam fecit (Φαρναβάζῳ pro Χαλκ.), concedimus. Praeterea omittit, quod Diod. 13, 65. narrat, Megarenses Nisaeam recuperasse, quamobrem Athenienses pugnam cum Peloponnesiis conseruerint magnamque inter Megarenses praecipue stragem ediderint.

6) 1, 4, 8 sqq. cf. Plut. Alc. c. 32. Sed utinam exhibuisset Xenophon orationem ab Alcib. in senatu habitam, qua mysteriorum laesorum crimen a se amoliri studebat! Haud dubie tenebris istis Hermocopidarum causae suffusis (Thucyd. 6, 60.) lucem aliquam attulisset.

7) Universalh. Uebersicht der alt. Gesch. 1, 2. p. 143 sqq.

8) Cf. Sievers p. 15 sq. 24 sq.

tacet Xenophon (1, 5, 16.), quinam Alcibiadem post cladem ad Notium acceptam criminati fuerint [9]), quamquam nullam ejus culpam fuisse satis docet. Tunc quidem eum ad castella sua [10]), quae in Chersoneso communiverat, abiisse et ante funestum ad Aegospotamos proelium Atheniensium ducibus nequidquam salubria suasisse [11]) refert, alia ejus molimina et obitum [12]) non tangens.

Quanto vividiorem Callicratidae, utpote veri Spartani, imaginem nobis proponit! quanto accuratius hujus et Lysandri res gestas persequitur (I. c. 5 et 6.)! Postquam satis distincte pugnam Arginussiam descripsit, actionem istam de imperatoribus instructam [13]) diligenter refert, ut eum cum voluptate quadam injustitiam Atheniensium manifestare et scelesti democratiae furoris exemplum proponere voluisse credideris. Exhorruit enim ejus animus populum effrenem et crudelitate lascivientem, cujus ingenium appositissime indicat claris verbis *τὸ δὲ πλῆθος ἐβόα, δεινὸν εἶναι εἰ μή τις ἐάσει τὸν δῆμον πράττειν, ὃ ἂν βούληται* (1, 7, 12.). Major autem Xenophonti, quam Diodoro fides habenda est; hic enim Theramenem et Thrasybulum magis casu, quam alia quadam re irritatos fuisse perverse narrat [14]). Contra vero tacet, Lacedaemonios post pugnam illam iterum pacis petendae causa legatos Athenas misisse, id quod Aristotelis auctoritatem interponens refert Scholion ad Aristophanis Ran. 1580. Sed iterum pacis conditiones Cleophonte auctore rejectae esse dicuntur. Ignominiam inde Lacedaemoniis suis nasci putaverit Xenophon.

§. 13.

Finis belli.

Ex eo inde tempore non indiligenter Xenophon res perse-

---

9) Cf. Plut. Alc. c. 36. Diod. 13, 73.

10) Plut. Alc. 36. Nepos. Alc. 7. Diod. 13, 74.

11) 2, 1, 25 sq. accuratius ap. Plut. Lys. 10. et Alc. 36. 37. Diod. 13, 105.

12) Plut. Alc. 38. 39. Nep. Alc. 9. 10. Diod. 14, 11.

13) Sievers p. 28 sqq. Wachsm. 2, 206.

14) 13, 101. cf. Schneid. ad Hell. 1, 7, 4. Sievers p. 34.

quitur, imo luxuriari videtur v. c. in describenda trepidatione post cladem ad Aegospotamos acceptam Athenis exorta, sed non satis accuratus est, ubi quomodo Athenienses cum Lacedaemoniis de pace transegerint narrat (2, 2, 11 sqq.). De factionum enim in republica conditione nihil fere in medium profert. Lysias in Agorat. p. 451. in Eratosth. p. 427. rectius istud exponit. Patet enim, legatos Atheniensium Sellasiam profectos non esse re infecta ab Ephoris remissos, quod Xenophon vult, verum conditiones pacis reportasse eas, quas §. 15., nescimus unde, accepisse Athenienses dicuntur. Has, ut e Lysia patet, Cleophonte demagogo auctore repudiarunt, eodemque auctore, puto, ἐγένετο ψήφισμα, μὴ ἐξεῖναι περὶ τούτων ξυμβουλεύειν [1]). Quo facto Theramenes cum aliis quibusdam democratiam evertere molitus (Sievers p. 42 sqq.) ideoque Lacedaemoniorum auxilio uti, et muros longos, quippe firmissimum democratiae columen, destrui cupiens, callide et perfide sua reipublicae officia commendat. Dimittitur a credulo populo πρεσβευτὴς αὐτοκράτωρ. Jam per ejus amicos (in quorum numero Satyrum Cephisiensem retulerim Lys. contr. Nicom. p. 847.) e medio tollitur Cleophon, pacis adversarius perpetuus [2]), et oligarchicis istorum consiliis vehementer obnitens, cujus mortem incommodo loco 1, 7, 35. tetigit Xenophon. Theramenes, tempora sua opperitus (quod ipse Xenophon indigitat §. 16., ceteroquin velata omnia relinquens), quarto postquam Athenis discesserat mense redit: commoratus autem erat apud Lysandrum secundum Xenophontem, Lacedaemone ex Lysiae narratione, qua in re Xenophon fide dignior est, quoniam ita Theramenes opperiendi et speculandi consilium melius exequi poterat. Jam facili negotio, ut legatus Spartam mittatur, impetrat ab Atheniensibus, fame vexatis. Affert pacis conditiones, prioribus multo pejores [3]), cujus rei culpam Therameni imputat Lysias [4]). Recte eas exhibet Xenophon, nisi quod unam

---

1) §. 13. cf. Bremi ad Lys. in Agorat. l. l.

2) Sievers p. 22 sqq. 43 sq. Hermann Gr. Staatsalth. p. 326. Schneider. ad Xen. Hell. p. 78 sq.

3) Cf. Schneid. ad. 2, 2, 20.

4) In Eratosth. 423.

omittit satis gravem, quam per se intelligi putabat fortasse [5]): *τῶν πόλεων πασῶν ἐκχωρῆσαι.* Postea quidem hoc patet ex verbis Agesilai (3, 4, 5.) *ὅτι αὐτονόμους καὶ τὰς ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις εἶναι, ὥσπερ καὶ τὰς ἐν τῇ παρ' ἡμῖν Ἑλλάδι,* quanquam non addit, quid sit *ἡ παρ' ἡμῖν Ἑλλάς.* Tota enim Graecia non erat penes Spartanos (cf. infra §. 15. Wachsm. p. 232.). Sed Athenienses pertinuisse ad illam patet ex Hellen. 3, 2, 25., ubi inter socios Spartanorum referuntur. Ad illas autem civitates, quibus cedere Athenienses jussi fuerint, pertinuisse etiam *παλαιὰ κτήματα* eorum, Imbrum, Scyrum, Lemnum, Andocides testatur [6]), de cujus ea in re auctoritate non facile quidquam detrahatur; nam oratio ejus de pace, si Kruegero fides est [7]), in annum 393. cadit, et auditoribus non facile ista imponere potuerit. Jam si Hellen. 4, 8, 15. Ol. 97½ (392.) insulae istae Atheniensium esse dicuntur, eas recuperatas esse apparet, id quod a Conone factum esse putaverim anno 393., quo classe a Pharnabazo accepta insulas et urbes in continente sitas Atheniensibus conciliavit (4, 8, 12.) murosque longos restituit.

Haec omnia Xenophon aut leviter tantum, aut nullo verbo tangit, licet gravissima essent ad Athenarum statum, qualis tunc esset, politicum cognoscendum et ad insecutae oligarchiae causas et origines perspiciendas. Fugit enim Xenophon, animi tranquillitatis studiosissimus, turbarum civilium expositionem, quo factum esse videtur, ut Cleophontis caedem, cum illis intime connexam, jam antea paucis absolverit.

§. 14.

Triginta viri.

Sed sequentia etiam non satis diligenter utique consignata esse apparet. Primum quidem tempus constitutae oligarchiae pervertit; est enim non post, sed ante muros dirutos (Diod. 14,

5) Plut. Lys. 14. Diod. 13, 107. Andocid. de pace p. 95.

6) Cf. etiam Aeschin. de fals. leg. p. 114. ed. Tauchn.

7) Neues Archiv. f. Philol. u. Pädag. 1, 3. p. 78 sqq.

3.). Tum silentio praetermittit, quomodo factum sit, ut triginta viri eligerentur; ridicula sane est brevitas, qua utitur (2, 3, 1 sq.) ἐγένετο δὲ αὕτη ὀλιγαρχία ὧδε. Ἔδοξε τῷ δήμῳ, τριάκοντα ἄνδρας ἑλέσθαι κ. τ. λ. (cf. 3, 5, 9.). Quam turbulenta fuerit concio, qua illud populo placuerit, quam callide et violenter Lysander et Theramenes rem peregerint, alii scriptores nobis aperiunt [1]). Verumenimvero haud dubie tacuit Xenophon, ne laederet reges Spartanos, quippe tantam injuriam a suorum quopiam amicae urbi illatam memorari aegre laturos; scripserit enim haec Xenophon post annum 369. (cf. supra §. 6.). In ipsa autem triginta virorum historia (2, 3, 11 sqq.) nihil fere est, quod desideres apud Xenophontem. Vivide et luculenter narrat, ingenia maxime Critiae et Theramenis bene pingit, reipublicae statum vere describit. Ea igitur res animum ipsius apprime adverterit oportet. Et sane fata, mores atque ingenia singulorum hominum quorundam ibi quam maxime eminebant, eamque prolixioris narrationis causam esse opinor; idcirco tam accurate narrat mortem Theramenis, quippe cujus constantiam admiretur (cf. 2, 3, 56.). Quo simul accedit, quod Xenophon, qui alioquin aequo animo patriam calamitatibus obrutam conspicit, hoc in loco aperte indignatione commovetur; erat enim tempus atrox gravibus casibus, plenum formidinis terrorisque (Sievers p. 49.). Nihilominus tacet asperum Lacedaemoniorum edictum, ut ne cui liceret exules Atheniensium recipere, nisi vellet foederis rupti reus esse; illos autem undequaque rapi posse, quod qui prohibeant, quinque talentorum noxam contrahere [2]), id quod non reformidantes Argivi et Thebani fugitivos benevole exceperunt. Hoc autem optime declarasset, quid tum Lacedaemonii molirentur, et quonam erga eos animo alii Graeci essent.

Triginta viri quum Eleusina concessissent, alii decem in eorum locum sufficiebantur, quam rem eodem fere exordio inducit Xenophon, atque antea illorum constitutionem (2, 4, 23.): ἐψηφίσαντο, ἐκείνους μὲν καταπαῦσαι, ἄλλους δὲ ἑλέσθαι. Καὶ εἵλοντο

---

1) Lys. in Eratosth. p. 428. Plut. Lys. c. 15. Diod. 14, 3. cf. Sievers p. 45 sq. Manso, Sparta 3, 2, 15 sq. Sed cf. Peter l. l. p. 41 sqq.

2) Diod. 14, 6. Plut. Lysias 27. Pelop. 6. Dinarch. in Demosth. §. 25. Justin. 5, 9.

δέκα, ἕνα ἀπὸ φυλῆς, quinam hi fuerint et cur hos potissimum elegerint non addens, id quod e Lysia (de affect. tyr. c. 14. in Eratosth. c. 54.) cognoscimus. Hos decem enim illis infestissimos, exulibus autem amicos esse censebant, qua in re magnopere falsi fuerant, quum ii ipsi vehementius etiam exules adorirentur. Ceterum Athenarum a tyrannorum dominatu liberationem vividis coloribus depingit, quod non putaverim ideo eum fecisse, quia reges Spartani gauderent oligarchia, quam Lysander ipsis molestissimus constituisset, dissoluta; hoc argutius quam verius suspicatur Sievers (p. 5.). Namque Xenophon ne ullo quidem verbo oligarchiam a Lysandro constitutam esse dicit. Cur itaque nunc hoc in animum induceret? Quodsi Xenophon non disertis verbis concionem a Thrasybulo convocatam populoque potestatem restitutam esse dicit (2, 4, 39.), hoc addere non necessarium existimaverit, quum ultro e narratione ipsa prodeat.

§. 15.

Anni 403 — 362.

Nunc vero multa omittit Xenophon eaque gravissima. Nihil de democratiae restauratione, nihil de Archino, Tisameno, Euclidis archontatu celeberrimo (cf. Wachsm. 1, 2, 266 sqq.). Verba enim, quae in hanc rem affert (2, 4, 43. καὶ τότε μὲν ἀρχὰς καταστησάμενοι ἐπολιτεύοντο), flocci sunt facienda. Hoc autem eo majorem mirationem facit, quoniam ipse rebus illis intererat. Sed alia quoque, quae ad Spartanos spectant, silentio praetermittit. Nam quum jam antea Lacedaemonii urbibus, quas receperant, magistratus praeposuissent (Thucyd. 4, 138. 8, 5.), reliquam iis libertatis umbram Lysander eripuit, qui conciliatis sibi oligarchicis factionibus [1]), δεκαρχίας ubique constituit, quibus tutandis praesertim inserviebant Lacedaemoniorum praesidia et harmostae [2]). De hisce nihil fere Xenophon commemoravit [3]). Nunc

---

1) Cf. Diod. 13, 70. Plut. Lys. 5. Pausan. 9, 32.

2) Plut. Lys. 13. Isocrat. Paneg. c. 32.

3) Cf. 2, 2, 2. de Byzantio ibid. §. 5. de Lesbo, ubi tantum dicit κατεσκεύαστο τὰς πόλεις, 4, 8, 1.

autem quam maxime Spartani libertatem Graeciae causati, sed suae tantum dominandi libidini indulgentes, illo modo civitates ordinabant per Lysandrum (Diod. 14, 10.), id quod ὡς ἐν παρόδῳ tangit Xenophon 3, 4, 2. et 3, 4, 7. (cf. 4, 8, 1. Diod. 14, 84. de Asia), quum Aristid. Tom. II. p. 175. magnas inde turbas in civitatibus ortas esse dicat[4]). Instructae autem eo tempore erant harmostis et praesidiis Laconicis Euboea, Tanagra, tota Boeotia, Megara, Aegina (cf. Hell. 5, 1.), Cleonae, aliae insulae, uti ait Demosth. de Cor. p. 258. (cf. Hell. 3, 5, 12 sq.). De ea igitur re nihil fere Xenophon, neque etiam quidquam de ratione, quae nunc inter Spartam aliasque Graeciae civitates intercedebat. Dicit quidem (3, 1, 3.) ἐπεὶ πάσης τῆς Ἑλλάδος προστάται εἰσὶν (sc. Λακεδαιμόνιοι anno 399.) et (ibid. §. 5.) πᾶσαι γὰρ τότε αἱ πόλεις ἐπείθοντο, ὅτι Λακεδαιμόνιος ἀνὴρ ἐπιτάττοι, sed inde nihil lucis oritur; imoque semet ipsum postea refellit[5]) oratione, quam Thebanos habuisse dicit, ut Athenienses ad foedus ineundum compellerent. Hac aliquomodo damna ista resarcire voluisse videtur, sed callide, quae ipse justo loco et ordine narrare veritus erat, a Thebanis infestis pronuntiari faciens primum, ut alia turbati ordinis incommoda mittamus (cf. Creuzer p. 293 sqq.), dubitationem, an vera illa essent, admisit (cf. §. 12. εἵλωτας ἁρμοστὰς etc.), tum brevitate, qua paucissima tantum raptim complecti posset, uti cogebatur. At hoc ipsum luculenter probat, 1) quantopere veritus fuerit, quae Lacedaemoniis turpia essent, referre, 2) in Hellenicorum compositione eum praecipue Lacedaemonios lectores respexisse; 3) nihilominus eum veritatis studiosum fuisse, sed infirmiorem, quam qui eam semper et ubique nullius ratione habita eloqueretur (cf. infra). Hoc etiam inde apparet, quod non memorat, quomodo Lysander Heraclidis imperium abrogare regiamque dignitatem vulgare conatus sit (cf. Diod. 14, 10. Plut. Lys. 24 sq.); erat enim anceps et periculosa res, qua facile Lacedaemonios et maxime Agesilaum offenderet. Similis est ratio Pausaniae regis, quem propter res male contra Thebanos gestas capitis damnatum esse perhibet Xenophon (5, 5, 25.), quum Aristot. Polit. 5, 1. cum ephoros re-

4) Cf. Heeren hist. Werke VII. p. 227 sq.

5) 3, 5, 5. cf. Wachsm. 2, 232. Herm. p. 77.

movere molitum esse referat; haec igitur fuerit condemnationis causa; ceterum recte eum defendere videtur Pausan. 3, 5. Idem illud prohibuit Xenophontem, quominus, ubi Cinadonis seditionem narrat (3, 3, 5.), odii Helotum et perioecorum causas aperiret. Recte ei Schlosser (l. l.), quomodo subditos suos habere solerent Lacedaemonii, hac opportunitate exponendum fuisse dicit. Nec non tacet Xenophon, Lacedaemonios in Messenios Naupactum et Cephalleniae castellum aliquod incolentes arma movisse eosque Graecia exterminasse (Diod. 14, 34.), Hermippidam vero Spartanum inhumane compescuisse Heracleae in Trachinia seditionem (Diod. 14, 38.). Sed haec hac de re sufficiant!

§. 16.

Continuatio.

Res in Asia a Thimbrone et Dercyllida gestas cum voluptate persequitur et bello Elio diligenter enarrato, tandem ad Agesilai sui tempora pervenit, qui regia dignitate Lysandri auxilio accepta [1]) in Asiam proficiscitur [2]), Graecarum urbium libertatem postulaturus. Nunc delectatur Xenophon bellicis rebus describendis genioque suo ita indulget, ut magis recordationis suavitate, quam factorum gravitate commoveri videatur. Quid? quod Agesilaum nuptias inter Otyn, Paphlagoniae regulum, et pulchram Spithridatae filiolam procurasse multis narrat, quod regione feris, piscibus, avibus abundante, et ad venationem apprime idonea laetatur, quod Agesilai amores celebrat (4, 1. cf. 5, 4, 25 sqq.). Sane quidem erat, cur Schlosser l. l. contenderet, exinde privatam Agesilai historiam incipere. Sed proh dolor! e mediis victoriis eum revocant ephori, Corinthio bello pressi.

Hujus causas, ut vidimus, Xenophon a Thebanis in eo poni facit, quod Lacedaemonii dira Graeciam tyrannide opprimant.

---

1) Leotychidam ab Agide patre filium esse agnitum Pausan. 3, 8. testatur, id quod Xenophon negat.

2) Fallitur Schneid. ad §. 5. μηδὲν τῆς σῆς ἀρχῆς a Tissapherne dictum putans, ut ἀρχὴ ista sit Tissaphernis, ab Agesilao occupata. At nihildum occupaverat Agesilaus, adhuc Ephesi degens. Aperte verba ab Agesilao dicta sunt, quod ipsa quoque res probat; diverbium modo paululum turbatum est.

Idque recte, si adjeceris Thebanorum et Atheniensium principatus nanciscendi studium et invidiam erga Spartanos, illorumque de imperio suo Boeotio sollicitudines[3]. Ipse autem Xenophon in sua oratione Timocratis dona, quibus Thebani, Argivi, Corinthii, nec vero Athenienses corrupti fuerint, praecipue effert. Et certe ea belli origo Lacedaemoniorum auribus acceptior erat. Sed illam, non hanc primariam et veram ejus causam fuisse (cf. Diod. 14, 82., qui ne memorat quidem Timocratis dona), ipse haud dubie Xenophon intellexit, et per Thebanorum verba significare voluit (cf. supra). Res ab initio gestas non accurate perscribit; nihil de communi sociorum apud Corinthios senatu, nihil de multis civitatibus, quae a Lacedaemoniis desciscunt, nihil de pugna Narycensi et aliis rebus, quas Diod. 14, 82. (cf. Plut. Apophth. p. 870.) refert. Tum vero de clade Lacedaemoniorum Haliartensi (3, 5, 19.) justo brevior Thebanorum damna mirum quam extollit (cf. modo Plut. Lys. 28.). Et attendas, quanta irrisione de hisce narret (3, 5, 21 sqq.): »eos enim animo perquam dejectos fuisse, donec Athenienses opem ferrent; tunc quidem fastum eorum valde crevisse;« eodem modo postea (4, 2, 18.), ubi proelium Nemeense describit, Boeotios timiditatis insimulat, quasi Lacedaemonios maxime veriti essent in pugna; istam certe non probaverant ad Haliartum, ubi vel Lysandrum acerrime adorti essent; nec quidquam Diodorus (14, 83.) aliusve ea de re commemorat, imo hic aequo Marte pugnatum esse refert, quum Xenophon Lacedaemonios vicisse contendat. Habes igitur h. l. prima apertiora inimicitiae ipsius erga Thebanos vestigia.

Sic quidem non patet, cur ephori omnino Agesilaum revocaverint. Tacet enim Xenophon, quantum iis periculum imminuerit, quum nihil dicat de prospero sociorum successu, quo statim initio belli gaudebant secundum Diodori testimonium. Et etiamsi illa non territi fuerint ephori, pugna tamen Haliartensi hoc factum esse videtur, quippe qua unus, quo confidere certius possent, Lysander cecidisset. Quemadmodum autem antea narrationis dispositione belli Corinthii causas et origines sollerter tegere studuit, sic etiam nunc periculi, quo Spartani vexarentur,

---

3) Hermann Gr. Staatsalth. p. 77.

mentionem tum demum injicit, quum legatos ad Agesilaum venisse refert. Quod πρότερον ὕστερον nisi committeret, oportebat eum illa, quae omittere sibi proposuerat, patefacere et quantopere trepidaverint ephori declarare. Verum hoc non sustinuisset Xenophon, qualem novimus.

Agesilaus peragrata Thessalia [4]) nuntium accipit de pugna Cnidia; jam haec paucis a Xenophonte absolvitur, quanquam gravissima erat, quum Lacedaemonii ea maris principatum amitterent. Contra Coronensis victoria, quam satis dubiam fuisse alii perhibent (cf. Schneid. ad 4, 3, 21.), amplius describitur, nec non proelium a Praxita cum Argivis, Iphicratis mercenariis et Corinthiis intra Corinthi muros commissum. Mirum h. l. quod uno tantum verbo Iphicratem affuisse dicit (4, 4, 9.), cui tamen primae ab aliis scriptoribus tribuantur (Diod. 14, 86. Polyaen. 1, 9, 45.). Sed quum Iphicratis acies exulibus Corinthiis, a Praxita adductis opposita esset [5]), illi vero τοὺς καθ' αὑτοὺς vicisse dicantur (4, 4, 11.), Iphicratem victum dici apparet. Cur vero Xenophon hoc non distinctis verbis extulit? Videlicet tale quid Spartanis suis non placiturum esse reputavit, quippe qui ab Iphicrate, nunc vel Corinthiis inferiore, toties superati essent. Nonne egregiam moram suam paulo post cecidit? nonne, ut alia mittamus, Anaxibium devicit? (cf. 4, 8, 35 sqq.). Nam Athenienses eum laedere noluisse, haud credibile est, quum nunquam, si alias victi essent, taceat. Nec etiam Iphicratem tanto amore amplexus est, ut cladem ejus aliquam benevole tegeret. Vides igitur in his quoque caecum et anxium Lacedaemoniorum cultorem. Id vero etiam probavit ratione, qua caedem optimatum Corinthiorum refert (4, 4, 1 sqq.). Namque hos optimates et Laconistas fuisse tacens (sunt ipsi

---

4) Cf. supra §. 3. Ceterum errat Schneid. h. l. (4, 3, 6.), Plutarchum existimans diversum a Xenophontis de Larissaeis narratione abire; hos enim non hostes Agesilai fuisse, quum foedus cum eo inierint secundum Plut. Ages. 16. Sed hic tantum dicit, Agesilaum cum iis pactum esse, ut missos a se legatos, quos retinuerant, dimitterent (ὑποσπόνδους αὐτοὺς ἀπέλαβε). Et omnino foedus fieri non poterat, quum Medius, Larissae dynastes, paulo ante hoc tempus Pharsalum occupasset (Diod. 14, 82.), Pharsalii autem ipso Plut. teste Agesilaum acriter impugnarent. Atqui duarum urbium, uni eidemque domino subjectarum, altera non potuit de pace transigere cum hostibus, altera cum iisdem bellum gerere.

5) Cf. tabulam, qua Weiskius (Xenoph. script. Vol. 4. p. 189.), quomodo acies instructa fuerit, ob oculos posuit.

nonnisi πλεῖστοι [6]) καὶ βέλτιστοι) mira simplicitate causam caedis narrat: conspirasse eos, quoniam agros suos vastari, multosque cives perire viderint [7]); acsi id minus esset, urbe Argivis al. erepta et Lacedaemoniis tradita; hoc enim revera moliti erant; idcirco postea Praxitam vocarunt. Quam maxime Xenophontem ab oligarchorum partibus stetisse, e tota narratione patet. — Exinde satis diligenter Agesilai expeditiones perscribit (4, 5 sqq.), nec non morae Spartanae interitum, hunc quidem tam prolixe, ut quantum integrae Lacedaemoniorum gloriae prospectum esse voluerit, facile videas; magnam enim Coronensem Thebanorum et Corinthiam sociorum cladem multo brevius retulit, acsi tale quid per se liqueret.

§. 17.

Continuatio.

Nunc, quod hucusque omiserat, exponit Xenophon res mari interea praesertim a Conone gestas (4, 8.). Quem quum ad Evagoram in Cyprum post pugnam ad Aegospotamos commissam profectum esse narrasset (2, 1, 29.), per longum tempus silentio praetermittit, non memorans eum classi Persicae a rege praefectum esse [1]); tangit hoc demum (4, 3, 11.), ubi Pharnabazo, Phoeniciarum navium duci, Cononem, τὸ Ἑλληνικὸν ἔχοντα, opponit (Ol. 96, 3. 394.) et disertius pronuntiat 4, 8., sed rationem tamen, quae ei cum rege Persarum esset, non declarat. Neque etiam nominat insulas et urbes, quas a Conone et Pharnabazo Lacedaemoniorum imperio ereptas esse dicit (cf. Diod. 14, 84.). Ceterum res, si pauca exceperis [2]), non indiligenter enarrat. Nam quod Schneider (ad 4, 8, 24.) nihil a Xenophonte quoque memorari dicit »deterrima Thrasybuli ante mortem con-

6) Ne erant quidem plurimi, quod e rei natura et ex sequente Xenophontis narratione prodit.

7) Cf. Wachsm. Antiq. Hell. 1, 2, 255.

1) Diod. 14, 39. Ol. 39, 2. 399. sed cf. Schneid. ad Hell. 4, 3, 11. cf. Diod. 14, 79. 81. Wachsm. Ant. Hell. 1, 2, 233.

2) V. c. quae de Rhodo habet (cf. Schneider ad 4, 8, 20.), de bello Evagorae contra regem (cf. id. ad §. 24 sq.).

silia« id recte factum esse arbitror; etenim jure Clinton (F. H. ad a. 389.) ipsam Schneideri hac in re iniquitatem reprobat, qui justo plus tribuerit adversarii oratoris (Lysiae) accusationibus. Iphicratis etiam res gestas studiose narrat; omnino eum suspiciebat (6, 2, 13 sq. sed 6, 5, 51.), sicuti Thrasybulum quoque (4, 8, 31.). Ex hisce quidem prodit, eum, simulac liberior esset a proxima cum Agesilao et Lacedaemoniis necessitudine, veriorem et accuratiorem fuisse rerum scriptorem. Tunc enim non tam facile ira et studio impediebatur, quominus rectius perspiceret res atque enarraret.

Pacem Antalcidicam, qua finiebatur bellum Corinthium, breviter quidem, sed ita tamen refert, ut quanti momenti esset, bene intellexisse videatur (cf. 5, 1, 36.). At mirum est, quod illas conditiones a Persarum rege Graeciae impositas esse nequaquam aegre fert, quum alioquin saepe animum barbaris infestum (cf. supra §. 2. 9.) Graecaeque dignitatis conscientia plenum probet (cf. 1, 6, 10 sqq.). Nihil vero praeter Spartanos suos curans, laetatur tantum, quod major inde auctoritas, imo gloria in illos redundet. Rectius et dignius haud dubie judicium posterae aetatis Graecus tulit (Plut. Ages. 23.): *καὶ πέμπουσιν Ἀνταλκίδαν πρὸς Τηρίβαζον, αἴσχιστα καὶ παρανομώτατα τοὺς τὴν Ἀσίαν κατοικοῦντας Ἕλληνας, ὑπὲρ ὧν ἐπολέμησεν Ἀγησίλαος, βασιλεῖ παραδιδόντες.* Xenophon eo modo iterum caeci Laconismi documentum edidit egregium; videtur etiam hoc loco quam maxime Agesilaum lectorem respexisse et veritus esse.

§. 18.

Continuatio.

Ubi Mantineae istum *διοικισμόν* narrat, non satis praedicare potest Mantinensium felicitatem, tanto beneficio mactatorum: nunc enim, quum per vicos dispersi essent, opulentiores agris suis propius habitare, molestis demagogis liberatos; et Lacedaemonios non unum omnibus, sed singulis quibusque vicis proprium ducem submittere. Nonne ironiam hanc potius, quam jejunam et sinceram historici sententiam esse crederes? Admiramur certe viri simplicitatem, detestamur et in his insanum Laconismum, omni eum acumine et judicio destituentem.

6

Sed sufficiant haec [1]). De rebus Thebanis quid senserit et quantopere eas corruperit, in vulgus constat. Xenophon eadem cum Agesilao dilexit, eadem oderat. Quid igitur mirum, quod Thebanis inimicissimus esset, qui Agesilaum Aulide sacrificantem propulsassent, ad summa quaeque in Asia adspirantem retraxissent omnique laborum pretio privassent? Pelopidam liberationis Thebarum auctorem fuisse celat (5, 4, 2 sqq.), cujus atque Epaminondae raram omnino mentionem injicit, vel ibi ubi prorsus necessaria fuerat, sicut 6, 4, 6. 6, 3, 19. 6, 5, 23 sqq. 7, 1, 15 sqq. Erant enim Thebani, δημαγωγοὶ et Spartanorum nec non Agesilai hostes acerrimi. Quodsi extremo operis capite (inde a 7, 5, 9.) laudem aliquam Epaminondae haud denegat, laesam antea justitiam quodammodo compensare voluisse videtur [2]). Quo accedit, quod, quum eo tempore, quo haec scriberentur, Agesilaus procul dubio jam mortuus esset (cf. supra §. 6.), Xenophon liberius, quae sentiret, proloqui sustinebat. Vel sic igitur summopere dolendum est, quod Plutarchea Epaminondae vita periit (cf. Heeren de font. Plut. p. 5.). Ceterum non est, cur Xenophontem propter silentium illud »malitiae« incusemus eumque »hominem malae mentis, mali animi, omni sinceritate privatum« appellemus, quod nuper fecit Rob. Gompf (Sicyoniac. spec. 1. p. 42.); cf. enim supra §. 2. At subsistamus hoc loco, quum cetera, quae afferre possemus exempla tam sint allatis similia et congrua, ut dicta recoquere et acta agere cogeremur.

Paucis nunc, quae hac disputatione probasse studuimus, comprehendamus. Vidimus enim 1) Hellenica multam et variam, quanquam non semper satis accuratam et dispositam, praebere supellectilem ad historiam labentis Graeciae illustrandam, praesertim in primis duobus libris, qui Thucydidis vestigia prodere videantur;

2) haud paucis distincta esse singularum rerum et hominum

---

1) Cf. sis Manso, Sparta 3, 2, p. 5 sqq.

2) Peter (p. 108 sq. cf. p. 97.) de pervulgata rerum ab Epaminonda gestarum laude, quam de Xenophontis fide et integritate aliquid detrahi mavult; illud fieri non posse, tota antiquitas clamat. Nec cuiquam facile persuadebit, nihil amplius scivisse Xenophontem de Epaminonda, celeberrimo et maximo illius aetatis viro. Certe summae aut incuriae aut caecitatis crimen nasceretur inde rerum scriptori.

descriptionibus, quae nobis tempus illud vivide repraesentent. Quo accedit, quod peculiaris Hellenicorum indoles vel per se spectata luculentum aetatis illius, maxime Spartanorum, ingenii documentum exhibet. Desideramus autem in iis

1) aequabilem in rebus narrandis accurationem;

2) animum historici incorruptum, justum, ira et studio liberum; etenim caecus Spartanorum et Agesilai amor efficit saepissime, ut veritatem posthabeat, adulteret, taceat;

3) subactum et integrum in publicis et urbanis rebus judicium atque acumen;

4) auctoris facultatem et studium certamina civilia atque factionum rationes perspiciendi et describendi, omnino internum rerum publicarum statum penetrandi et proponendi.

Quae quum ita sint, Xenophontis Hellenicis provide tantum, caute et circumspecte utendum esse apparet.

Typis Henrici Caroli Seemann.